

Complete Works of Lokuang Vol. 39-2

De Potestate Patria In Jure Canonico Et In Jure Sinico Comparative

(thesis ad lauream consequendam apud Institutum
Pontificium utriusque juris)

Student Book Co. LTD.

Index

Praefatio	vii
Introductio	173
I . Consanguinitas in jure canonico	174
II . Jus sinicum in genere	176
III . Evolutio juris sinici	178
IV . Doctrina moralis confuciana de relationibus inter parentes et proles	183
Caput I . De Fundamento Et Natura Potestatis Patriae In Jure Canonico	189
Articulus I . De fundamento potestatis patriae in jure canonico .	189
I . Potestas patria fundatur in jure naturali et in jure divino positivo	189
II . Potestas patria fundatur remote in facto generationis prolis et proxime in officiis sustentationis et educationis	190
Articulus II . De natura potestatis patriae in jure canonico	196
I . Potestas patria est potestas dominativa.....	196
II . Finis potestatis patriae est in bonum prolis	198
III . Objectum potestatis patriae	199
IV . Subjectum potestatis patriae	201
Scholion I . Differentia inter potestatem patriam et potestatem patrisfamilias	202

Scholion II . Differentia inter potestatem patriam et tutelem simplicem	202
--	-----

Caput II . Effectus Juridici Potestatis Patriae In Jure

Canonico	205
-----------------------	------------

Articulus I . Effectus juridici potestatis patriae in jure canonico in genere	205
I . Persona prolis subjicit potestati patriae	206
II . Actus juridici prolis dependent a potestate patria...	206
III . Bona prolis sunt in potestate parentum.....	207
Articulus II . De incapacitate agendi prolis minoris	209
I . Exceptiones proprie dictae	214
II . Exceptiones improprie dictae	216

Caput III . De Exercitio Potestatis Patriae In Jure

Canonico	219
-----------------------	------------

Articulus I . Potestas patria relate ad baptismum prolis	219
I . Consensus parentum relate ad baptismum prolis minoris	221
II . Proles in baptismo sequitur ritum parentum	230
Articulus II . Potestas patria relate ad sedem juridicam prolis.....	234
I . Locus originis	235
II . Locus domicilii vel quasi-domicilii.....	236
Articulus III . Potestas patria relate ad statum clericalem et religiosum prolis	238
I . Potestas patria relate ad statum clericalem prolis....	238

II . Potestas patria relate ad statum religiosum prolis...	239
Articulus IV . Potestas partia relate ad matrimonium prolis	
minoris	242
I . Consensus parentum relate ad sponsalia prolis	
minoris	242
II . Consensus parentum relate ad matrimonium prolis	
minoris	246
Scholion.....	248
Articulus V . De potestate patria relate ad irrationem voti et	
juramenti prolis	249
I . Subjectum potestatis irritandi votum prolis	250
II . Votum quod irritari potest a potestate patria	250
Articulus VI . De potesta patria relate ad educationem prolium	251
I . Parentes sibi vindicare possunt jus educandi	
proprias proles contra tertiam personam	251
II . Parentes jus educationis sibi vindicare contra	
ecclesiam nequeunt	252
Caput IV . De Fundamento Et Natura Potestatis Patriae In	
Jure Sinico	253
Articulus I . De fundamento potestatis patriae in jure sinico	
antiquo	253
Articulus II . De fundamento potestatis patriae in jure sinico	
vigenti	254
Articulus III . De natura potestatis patriae in jure sinico antiquo..	255
I . Ambitus potestatis patriae	255
II . Subjectum potestatis patriae	256

Articulus IV . De natura potestatis patriae in jure sinico vigenti ..	258
I . Ambitus potestatis patriae	258
II . Subjectum potestatis patriae	259
Articulus V . De effectibus juridicis potestatis patriae in jure sinico antiquo	260
I . Incapacitas agendi prolis	260
II . Obligatio juridica pietatis filialis	262
Articulus VI . De effectibus juridicis potestatis patriae in jure sinico vigenti	263
I . Parentes sunt tutores legales prolis	263
II . Incapacitas agendi prolium	263
Caput V . De Exercitio Potestatis Patriae In Jure Sinico	
Antiquo	265
Articulus I . De potestate patria in personam prolis	265
I . Jus utendi	265
II . Jus castigandi	266
III . Non datur jus necis	267
IV . Non datur jus venditionis	269
V . Parentes non possunt prostituere filias	270
Articulus II . De potestate patria in statum vitae prolis	272
I . Potestas patria in determinanda professione prolis...	272
II . Potestas patria in matrimonium prolis	273
Articulus III . Potestas patria in bona prolium	282
I . Omnis bona prolis sunt bona parentum	282
II . Officium prolis ad sustentandos parentes	283

Caput VI. De Exercitio Potestatis Patriae In Jure Sinico

Vigenti	285
Articulus I . Principia generalia circa exercitium potestatis patriae	285
I . Praescriptiones contra abusus	285
II . Cessatio potestatis patriae	286
Articulus II . De potestate patria in personam prolis	287
I . Acquisitio nationis	287
II . Domicilium prolis	289
III . Jus castigandi	290
IV . Jus educandi	291
Articulus III . De potestate patria relate ad electionem status vitae prolis	293
I . Consensus pro electione professionis	293
II . Consensus parentum pro sponsalibus et matrimonio prolis minoris	293
Articulus IV . De potestate patria in bona prolis minoris	296
Conclusio	299
Bibliographia	309

Praefatio

Relatio parentes inter et proles res omnibus hominibus penitus nota est, cum vita humana in his relationibus quotidie versetur. Populi civiles incivilesve, licet in progressibus culturalibus longe differant, in admittendo existentiam societatis familiaris nullam discrepantiam habuerunt vel habent. Impellit enim natura humana ut homines vitam in societate ducant; societas vero familiaris parvulo nuper eddito in lucem obviam venit. Quis sit pater vel quae mater qui neonatum suum, tenerum fragilemque e suis sinibus abjiceret lapideo cum corde? Aut qualis sit proles quae parentes sibi die noctuque affectus auxiliaque afferentes facere audeat extraneos negando eis amorem et obedientiam? Relationes, quae suaviter et fortiter genitores genitosque invicem sese obstringunt, erumpunt ex intimis cordium hominum neque ab ulla auctoritate humana supprimi extirparive possunt.

Attamen cum peccatum originale generi humano ignorantiam attulisset et concupiscentiae ossibus hominum adherentes tyrannicum imperium in actus homanos exerceant, ratio humana non semper clara videt omnia quae sibi facienda evitandave sunt. Indiget homo positivis praescriptionibus, quae principia naturalia magis elucident et praecautionem contra evertentes concupiscentias homini afferant. Itaque relationes in natura humana inscriptae diversas determinaciones positivas juridicas recipiunt.

Nobis propositum fuit in hoc brevi studio inquirere relationes juridicas quae in jure canonico et in jure sinico statutae sunt inter parentes et proles. Cum vero exiquitas temporis nobis non permisserit percurere totam hanc vastam materiam, campus nostri studii igitur limitatur ad inquisitionem de potestate patria in jure canonico sinicoque. Inter relationes enim juridicas parentum et prolum patria potestas emminet prae caeteris et etiam magis habet characterem juridicum quam caeterae.

Cum systema juridicum sinicum antiquum propter proprios characteres singularitatem prae se ferat, hos nostrum studium conatur in lucem reddere ejus unum alterumve punctum vitale, ita ut hic noster labor aliquid emolumentum studio juridico-comparativo afferre possit.

Introductio

Potestas patria, qua parentes proles suas regunt, ab omni populo ut elementum principale constitutionis socialis habetur; etenim societas familiaris est lapis angularis societatis civilis. Parentes propriam auctoritatem liberis imponunt non ex aliqua conventionem, nec ex benigna concessione civitatis nec ex quocumque facto humano, sed ex naturali lege a Deo recepta; infans enim, vix capax affectus cogitationisque exprimendi, amore atque obsequio parentes prosequere nunquam ignorat, nam inscripta est in ejus natura una lex quae ipsa ad recognoscendam superioritatem et auctoritatem genitorum inducit. Fundamentum igitur potestatis patriae remote in jure naturae invenitur.

Jus vero naturale principia generalia dictat tantum et relinquit conclusiones laboribus hominum. Ita potestas patria, supposito fundamento juris naturalis, normam suam a jure positivo humano recipit. Omnis populus in admittenda potestate parentum mirifice concordat, sed in ejus concretis praescriptionibus valde inter se differt. Differentia hujusmodi magna ex parte ab opiniobus philosophicis de jure naturae dependet, postea etiam dependet a constitutione sociali uniuscujusque nationis. Ecclesia Catholica quae donum infallibilitatis a Suo divino Fundatore accepit, sola sibi legitimam auctoritatem interpretandi jus naturale vindicat; veritas in ea tantummodo inveniri potest. Itaque doctrina catholica de potestate patria a nobis proponenda est ut criterium, juxta quod caeterae opiniones dijudicandae sunt. Antiqui sapientes Sinenses, duce Confucio, veritates naturales quidem permultas docuerunt, sed in his veritatibus haud paucos errores emisuerunt. Doctrina eorundem de potestate parentum pulchrum systema perhibuit et maximum influxum in vitam populi excercuit; tamen in ea plures assertiones erroneae teguntur. Opinio doctrinalis quae jus vigens de potestate patria inspiravit, magis ad veritatem catholicam accedit.

Ex principiis doctrinalibus jus positivum ad praescriptiones positivas circa exercitium parentum potestatis devenit et in iis unumquodque jus proprium characterem manifestat. Jus canonicum singularitatem habet propter respectum ad jura spiritualia; jus sinicum, speciatim antiquum, propter ideas morales specialem conspectum praesentat de patria potestate.

Ad claram intelligentiam rerum in hoc studio tractandarum nobis visum est esse opportunum praemittere aliquas notiones generales sive de evolutione juris sinici sive de consanguinitate.

I. Consanguinitas in jure canonico

Ecclesia catholica a Christo Domino instituta societas supernaturalis nuncupatur, quae naturam humanam non ad destruendam sed ad elevandam intendit, eamque in suis doctris supponit et ejus qualitates naturales in legibus constituendis prae oculis semper habet.

Subjectum capax juris vel persona juris in societate humana constituitur per nativitatem; persona nata vivens capacitatem omnium jurium objectorum in se habet. Haec vero capacitas vocari solet objectiva. Capacitas objectiva tendit ad suam perfectionem i.d.ad suum exercitium; exercitium jurium objectivorum habetur in subjecto capaci quod a jure naturali et positivo determinatur.

Persona in Ecclesia constituitur per baptismum; can. 87 dicit: "Baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus christianorum juribus et officiis, nisi ad jura quod attinet, obstat obex, ecclesiasticae communionis impediens, vel lata ab Ecclesia censura." -Baptismus, nativitas spiritualis, imitans nativitatem naturalem, effectus juridicos habet in jure ecclesiastico sicut nativitas naturalis in jure civili. Homo autem cum ingressus fuisset societatem supernaturalem, non desistit esse homo naturalis cum suis perfectionibus et imperfectionibus. Fundamentum capacitatis juris objectivi in Ecclesia constituitur per aliquod factum supernaturale et independens a natura humana; sed capacitas subjectiva vel exercitium jurium dependere etiam debet a statu naturali personae exercentis; etenim persona, quae jura spiritualia et supernaturalia excercet, non est homo extra naturam vel contra naturam. Omnes circumstantiae quae natu-

raliter afficiunt personam relate ad exercitium juris, in iure canonico etiam habentur ut causae modificantes exercitium juris; v.g. usus rationis est conditio sine qua non ut quis iura sua exercere valeat, exceptis illis iuribus quorum exercitium actum positivum a parte recipiente non absolute requirit, uti jus ad baptismum. Determinationes vero juris civilis circa istas circumstantias, nisi quando Ecclesia in suis iuribus eas determinationes receperit, per se non afficiunt personam ecclesiasticam.

Consanguinitas est una ex his circumstantiis quae effectus juridicos afferunt ad capacitatem juridicam, praesertim in societate civili. Societas enim civilis venit post familiam ejusque iura incolumia relinquit. Familia constituitur super consanguinitatem; consanguinitas igitur nuncupatur fundamentum juris familiaris. Dari imo potest casus, in quo consanguinitas fundamentum juris civilis constituit, quando societas civilis familiam non vero individua esse nuclea constitutiva considerat. Inter consanguineos parentes et proles procul dubio primum locum occupant; ideoque relationes inter istos centrum juris familiaris certe constituunt.

Ecclesia in suo ordine nullam societatem humanam supponit et personas individuas esse membra sua considerat. Tamen ex parte membrorum, quae homines naturales sunt, Ecclesia non negligit alias societates naturales. Idcirco consanguinitas in iure canonico locum habet et enumeratur inter circumstantias capacitatis subjectivae; non quidem propter quod Ecclesia sicut societas civilis ex sua natura consanguinitatem considerare debet, sed propter quod status personarum hanc in se continet. Attamen consanguinitas in iure canonico recipitur in quantum est circumstantiae naturalis, quia determinationes civiles consanguinitatis non necessario ab Ecclesia recognoscitur. Jus canonicum principia naturalia consanguinitatis adhaerens proprias praescriptiones statuit. ⁽¹⁾

(1) Consanguinitas per se sub duplici respectu considerari potest, scilicet vel ut circumstantia afficiens capacitatem subjectivam vel ut fons quorundam iurium et officiorum. Sed duo respectus inter se commiscuntur, quia secundus respectus est suppositum primi respectus.

II. Jus sinicum in genere

Distinctio absolute necessaria est inter jus sinicum antiquum et jus sinicum vicens. Jus antiquum sinicum ab initio usque ad fundationem reipublicae (a. 1911, p. Ch.) populum multitudine immensum per quadraginta fere saecula gubernavit et in se reflexionem characterum populi elucide importat. Reipublica fundata, populus sinicus progressum vitae cupiens traditiones saeculares uti ligamina, quod fas vel nefas est, a societate ejicere conati sunt et constitutiones sociales populi occidentalis indiscriminatim recipere satagunt. Jus igitur vicens sinicum continuationem traditionis juridicae neglexit et systema juridicum occidentale acceptavit.

Antiqui sapientes Sinenses cum divisionem aliarum scientiarum nondum cognovissent, eas sub communibus principiis tractabant. Philosophia juris cum philosophia morali confundebatur; principia itaque moralia pro ordine juridico supponenda sunt. Juxta dontrinam moralem sinicam homo in suis actionibus exemplum habet actiones divinas quia homo debet imitari Coelum, creatorem; norma enim Coeli est norma actuum humanorum. Cum vero Coelum, creator de se invisibilis, exemplum directum hominis esse non possit, inspiciendae sunt aliquae operationes externae ac visibiles Coeli. Natura universa creata est operatio Coeli, quae oculis humanis constanter praesens est. Itaque homo normam agendi ex actionibus naturae universae creatae deducere debet. In natura creata datur ordo generalis, juxta quem omnia procedunt ordinatim; ita in societate humana ordo constituendus est qui pars ordinis naturae universae designatur. Ordo socialis intime connectitur cum ordine universae creaturae. ⁽²⁾

(2) Jean Escara, *Le droit chinois* (editions Henri Vetch, Pekin 1936) cap. I, p. 7.: "L'un des plus anciens principes directeurs de l'ame chinoise est la croyance à l'existence d'un ordre de la nature et l'efficacité d'une concordance entre celui-ci et l'ordre social. Cette croyance a conduit les Chinois à une conception du droit naturel qui leur est demeurée propre et qu'on ne peut saisir qu'en faisant à peu près table rase des théories occidentales sur le sujet."

Ordo socialis ab imperatore dirigitur, qui in gubernando Coelum rapraesentat. Regulae vel leges quibus imperator utitur ad dirigendum ordinem sociale sunt "Li" et "Fa". -"Li" in sensu littarali ritus vel caerimonias significat; in sensu formali comprehendit omnes praescriptiones sociales id est leges morales, rituales et constitutiones sociales. "Fa" denotat legum sanctionem quae ab auctoritate imperiali statuta est. Omnes homines in societate juxta "Li" in diversos ordines disponuntur, speciatim in quinque ordines reciprocos: imperator et ministri, parentes et proles, fratres inter se, maritus et uxor, amici inter se; tamen istae relationes habendae non sunt uti relationes iuridicae proprie dictae. Systemaenim polificum juxta Confucianismum est emminenter educativum. Imperator cum suis ministris populum ad rectam viam educat; enimvero imperator non tantum est princeps politicus, sed etiam pater omnium civium. Itaque tum bonum commune cum bonum privatum, tam prosperitas materialis quam moralis pertinent ad curam imperatoris. In his officiis adimplendis auctoritas imperialis, uti auctoritas paterna, media persuasionis magis eligit quam media castigationis; propterea "Li" praeferrendum est "Fa".

Cum vero "Li" sanctionem moralem in se tantum conferret et ad cohibendas passiones perversorum insufficiens aliquando inveniretur, leges aliquae selectae cum sanctionibus poenalibus instituendae sunt ab auctoritate imperiali. Hae leges designantur "Fa", quae, licet adhibendae non sint uti media ordinaria, habendae sunt in auxilium "Li". Terminus lex a Sinensibus concipiebatur esse ordinatio ab auctoritate data cum sanctionibus poenalibus; ideirco "Li" non nuncupatur lex, quia sanctiones poenales non secumfert; "Fa" vero appellatur lex. "Fa" jam describi potest ita: ordinatio ab auctoritate imperiali promulgata cum obligatione sub poenis physicis. Inde multi auctores tenent non esse in Sinis leges nisi poenales.

"Li" in initio erat dictamen sapientium, quae postea a regnantibus fuerunt receptae, norma sic socialis factum est. Non adsunt collectiones in quibus omnes praescriptiones "Li" ordinatim concinnatae sunt; pro ritibus habetur liber caerimonialis qui conscriptus fuit a Teheou-kong, primo ministro imperatoris Chen de dynastia Teheou (circa s. XI a.Ch.). In hoc libro caerimoniae sive pro vita publica sive

pro vita familiari minutiose determinatae sunt juxta principia moralia traditionalia; inveniuntur etiam in hoc libro multa elementa juris privati et juris publici. ⁽³⁾

Praescriptiones Teheou-kong summam auctoritatem constituunt in materia caerimoniali praesertim propter confirmationem Confucii et durante saeculis nihil substantialiter mutatum est. Pro constitutione sociali sunt constitutiones et decreta imperiales diversarum dynastiarum, quarum aliquae collectiones officiales factae sunt; sic habemus collectiones decretorum et constitutionum dynastiae Tang (a. 620-907 p.Ch.), dynastiae Song (a. 960-1280 p.Ch.) dynastiae Ming (a. 1368-1644 p.Ch.) et dynastiae Ts'ing (a. 1644-1911 p. Ch.). ⁽⁴⁾

III. Evolutio juris sinici

De evolutione juris sinici hic intendimus tantum loqui de evolutione "Fa"; quod quidem non identificatur cum jure poenali. Jus enim poenale in sensu proprio est complexus legum quae poenas statuunt; "Fa" autem praeter poenas continet leges praeceptivas et prohibitivas, quae sunt vel civiles vel processuales. Poenae quatenus malum physicum important, odiosae sunt, et in suis applicationibus arbitrariis judicis non debent. Auctoritas igitur imperialis intervenit ad stabilendas poenas pro determinatis delictis; poenae stabilitae ad cognitionem judicum populi per promulgationem deducuntur. Itaque collectiones officiales ad modum codicis "Fa" in omnibus fere dynastiis publicatae sunt. ⁽⁵⁾

Evolutio in tres periodos dividi potest:

1. Ab initio usque ad plenam efformationem idest periodus efformationis qui percurrit a tempore Li-k'ouei (circa saec.V.a.Ch.) ad finem dynastiae T'ang (a.905 p.Ch.);

(3) S. Couversur S.J. I-Li (cèremonial) ed. Hsien-Hsien 1916; Li-ki, (liber ritualis) ed. Ho-kien-fu 1899.

(4) Tehen-koo-yuan, Historia juris sinici (Shanghai 1934), p.114 sq.

(5) Cfr. Yang-hong-lie, Historia juris sinici Shanghai 1933.

2. Periodus conservationis a dynastiae Song ad dynastiam Ts'ing (a. 960-1911 p.Ch.);
3. Periodus transformationis idest tempus actuale Reipublicae Sinicae.

A. Periodus efformationis (s.V.a.Ch; -s.X.p.Ch.)

In documentis scriptis antiquissimis, uti in libro annalium (circa s.XI.a.Ch.) non defuerunt praescriptiones juridicae et sanctiones poenales; hae tamen praescriptiones nimis vagae sunt. Cultura sinica sub dynastia Techeou (a.1122-249 a.Ch.) in sua efformatione floride procedebat et variae scholae philosophicae fundamentum suorum systematum posuerunt. Principia juris sinici his temporibus jam depositae sunt sed ad formam ordinatam nundum pervenit nisi in fine dynastiae per laborem Li-k'ouei.⁽⁶⁾

Li-k'ouei fuit primus qui leges scriptas vel "Fa" in unum corpus redigere tentavit. Ipse circa annum 424-387 a.Ch. librum cum titulo "Fa-King" scripsit, in quo leges systematice disponuntur. Opus hoc deperditum fuit; systema vero ejus a posterioribus semper avide custodiebatur.

Li-k'ouei leges distribuit in sex sectiones vel libros: a) de latrociniis; b) de furtis; c) de carcerationibus; d) de captione delinquentium; e) Miscellanea; f) de applicatione legis.

Post dynastiam Techeou dynastia Tsing potestatem sibi arripuit, sed propter suam tyranniam breve per tempus duravit. Ei successit Dymastia Han. In initio hujus dynastiae Shiao-ho, primus minister (cir. initium s.II.a.Ch.) codicem juris concinnavit eumque auctoritate imperiali publicavit. Systema quod Shiao-ho sequutus est in hoc

(6) Yang-hong-lie, *Historia J.S.* (Shanghai 1933) vol. p. 99. Tenen-koo-yuan, *Historia J.S.* (Shanghai 1934), p.44. Opus Li-K'ouei, licet deperditum fuerit, sed partim conservatur in citationibus codicibus dynastiarum subsequentium.

codice est mothodus Li-k'ouei cum quadam amplificatione, quia sectiones sunt jam novem scilicet tres sectiones additae sunt.⁽⁷⁾ Codex Han leves mutationes sub imperatoribus posterioribus hujus dynastiae subivit et in vigore remansit usque ad finem dynastiae. (a. 190. p.Ch.) Collapso throno Han, imperium a variis principibus dilaniatum fuit, et pars septemtrionalis sub jugo barbarorum gemebat. Principes autem barbari culturam sinicam avide assimilabant et in constitutionibus socialibus ac juribus dynastiam Han scrupulose imitabantur. Tandem dynastia Soei (a. 590-p.C.) conclusit tempus divisionis et imperium uni throno iterum univit. Dynastia Soei, licet gubernium breviter tenuerit (per trignita annos), codicem sub secundo imperatore promulgavit. Imperator Kao-tsong dynastiam Tang post Soei fundavit, profligatis omnibus adversariis; et filius ejus T'ai-tsong impereium in fulgentem splendorem evexit. Codex Tang a tertio imperatore, Kao-tsong, anno 653p. C. publicatus fuit, qui codex a undeviginti jurisperitis per tres fere annos praeparatus fuerat. Efformatio codicis juris sinici jam pervenit ad suam perfectionem eo quod in temporibus subsequentibus nihil novi codici Tang additum est. Novem sectiones codicis Han multiplicatae sunt in duodecim; unaquaeque sectio dividitur in tomos; tomus dispescitur iterum in articulos.⁽⁸⁾

(7) Cheng-shu-te, Inquisitio scientifica jurium novem dynastiarum, Shanghai 1934, vol.I, p.11 sq.

Codex Han dividitur in novem sectiones: 1° de latrociniiis; 2° de furtis; 3° de carcerationibus; 4° de captione, deliquentium; 5° miscellanea; 6° de applicatione legis; 7° de familia; 8° de operibus publicis; 9° de communicationibus. -Hic codex est deperditus.

(8) Yang-hong-lie, Historia J.S. (Shanghai 1933) vol.I, p. 343 sq.

Codex Tang habet duodecim sectiones; 1° de applications legis; 2° de curia imperiali; 3° de communicationibus et thesuris publicis; 6° de operibus publicis; 7° de latroniis et furtis; 8° de conflictis violentibus privatorum; 9° de deceptionibus; 10° miscellanea; 11° de captione delinquentium; 12° de jucidis, -Codes iste perfecte conservatus este quem nos prae manibus habamus.

B. Periodus conservationis

Haec periodus a dynastia Song ad finem dynastiae Ts'ing (a. 960-1911) perduravit fere decem saecula. Postquam potentia dynastiae Tang in pulverem dejecta fuerat, conditio socialis non minum tristis ac lamentabilis erat quam tempus post ruinam throni Han; divisio regni et occupatio barbarorum bella incensanter causavit. Dynastia Song per voluntatem capitum militum thronum sibi oblatum accepit et devictis adversariis finem divisionibus posuit. Primus imperator codicem Tang uti fundamentum adhibuit in sua collectione juris, quam ipse sub titulo "Collectio juris poenalis" promulgavit anno 964. Collectio haec in duodecim sectiones dispescitur sicut in codice Tang.

Dynastia Yuen de Mongolia potestatem imperialem anno 1280 sibi arripuit, everso throno Song et consuetudinem propriam in Sinas introducere tentavit. Attamen vis traditionum millenarum sinicarum conatus imperiales vincit ita ut jus a praecedentibus dynastiis statutum ab imperatoribus mongolensibus adhibetur. Ad similitudinem collectionis juris poenalis dynastiae Song, quintus imperator, In-tsong systematicam collectionem anno 1323 promulgavit.

Magnum imperium mongolense propter scisionem principum et incapacitatem imperatorum potentiam suam quasi mundialem diu tenere non valuit et anno 1368 dynastia Ming super ruinam ejus novum imperium construxit. Codex juris a primo imperatore summa cum diligentia, summa cum cura praeparatus fuit et prima vice anno 1373 publicatus fuit. Sed prima publicatio propter defectus multiplices felicem exitum non habuit; ideoque secunda publicatio facta est anno 1398. Mutatio quaedam divisionis introducta est in hac secunda editione codicis. Sectiones sunt septem et articuli sunt quadrigenti et sexaginta. Post codicem Tang haec collectio officialis perfectior habetur cacteris. ⁽⁹⁾

(9) Yang-hong-lie, *Historis J.S.* (Shanghai 1933) vol.II, p.76 sq. Codex Ming dividitur in septem sectiones: 1° de applications juris; 2° de Ministris publicis; 3° de familia; 4° de ritibus; 5° de militibus; 6° de delictis; 7° de operibus publicis. -Codex hic conservatus est.

Anno 1664 dynasta Ming cum suicidio ultimi imperatoris thronum deperdidit et dynastia Ts'ing de Mancuria suum imperium in Sinis imposuit. Jus sinicum traditionale suam auctoritatem semper servavit et in hac dynastia ultima plenam suam evolutionem explicavit. Attentio primi imperatoris hujus dynastiae in codicem conficiendum jam conversa est; sed ipse tantum eddidit commentarium ad codicem Ming. Tertius imperator, Kao-tsong, opus codificationis perfecit et anno 1740 novum codicem sua auctoritate promulgavit. Hic codex Ts'ing pluribus vicibus a posterioribus imperatoribus revisus est et in publicationibus subsequentibus commentarium et decreta imperialia collecta addita sunt. Divisio in hoc codice systema codicis Ming sequitur.⁽¹⁰⁾

C. Periodus transformationis

Ultimis in annis dynastiae Ts'ing contactus cum populis occidentalibus in Sinis inceptus est et propter contumelias in bellis habitas defectus gubernii manifestati sunt populo. Sapientes et juvenes ingressi sunt viam transformationis et primum opus transformationis in transformandis juribus posuerunt. Tentamen novae Constitutionis cecidit sine exitu anno 1898, nova tamen juris sehemata praeparabantur et novum jus poenale anno 1909 promulgatum est.

Evolutio civilis ignem jam misit in omnes classes populi; gubernium, licet omni nisu eam reprimere conatum fuerit, potestatem novo regimini reipublicano cedere debuit anno 1911. Novatores, progressum nationis cupientes, omnes traditiones veluti ligamina prosperitatis abjecerunt et nationem construere secundum theorias occidentales proposuerunt. Jus constitutionale in Sinis nunc est adhuc provisorium; anno 1928 novum jus poenale publicatum fuit; anno 1929 tres libri juris civilis promulgati sunt; liber vero quartus juris civilis anno

(10) Yang-hong-lie, *Historia J.S.* (Shanghai 1933) vol. II, p. 868 sq. Codex Ts'ing dividitur in septem sectiones vel libros sicut in codicem Ming.

Variatio habetur in divisione capitum; numerus hujus codicis multo superat codicem Ming. -Huic codicem nos prae manibus habemus. In hoc codice habetur tota synthesi juris sinici antiqui.

sequenti est promulgatus; postea jus processuale et commerciale successive ab auctoritate reipublicana codificatum est.⁽¹¹⁾

De jure familiari specialiter notare debemus. Jus familiare systematice conscriptum, ut est pars juris civilis, in Sinis non habebatur ante unum saeculum, quia in codicibus antiquis, licet non defuerit sectio specialis de familia, tamen in hac sectione praescriptiones juridicae dabantur tantummodo pro aliquibus quaestionibus. Sed non propterea defuit jus familiare in Sinis; praeter enim jus collectum in codicibus aderant libri caerimoniales et consuetudines, in quibus magna pars juris civilis inveniatur. Quando versus finem dynastiae Ts'ing, transformatio juris sub influxu theoriarum occidentalium incepta fuit, jus familiare permultas difficultates praebat, eo quod consuetudo antiqua in hac juris parte magnum pondus habet. Pro codificatione novi juris familiaris habita sunt tria schemata praeparatoria, quorum primum compilatum fuit anno 1908, secundum anno 1926, tertium anno 1928, et tandem tertium schema cum multis factis publicatum fuit anno 1930 et incepit vigere die quinto Maji anni sequentis. In duobus prioribus schematibus praeparatoriis compilatores magis adherabant juri antiquo et ita in his schematibus habemus jus antiquum familiare systematice redactum.⁽¹²⁾ In tertio vero schemate ac in jure vigenti principium juris traditionalis penitus fere derelictum fuit.

IV. Doctrina moralis confuciana de relationibus inter parentes et proles

Ordo juridicus, licet sit distinctus ab ordine morali, ab eo tamen separari non debet, quia ordo juridicus uti pars includitur in ordine morali ejusque principia generatim supponit. Doctrina moralis, quae

(11) Collectio sex jurium, curata ab Accademia Juridica Sinica, Shanghai 1933. (sex jura: Constitutio provisoria, jus civile, jus poenale, jus commerciale, jus processuale actionis civilis, jus processuale actionis criminalis.)

(12) Collectio sex jurium (curata ab Accademia J.S., Shanghai 1927, ed. 16) continet primum senema juris familiaris. tom. 111, pars IV.

vitam publicam privatamque populi sinici per longa saecula direxit, super auctoritatem inconcusam Confucii fundata est. In disputationibus theoreticis et in dogmatibus religiosis fuerunt opiniones diversae, sed in praeceptis moralibus practicis omnes convenerunt ad admittendam doctrinam quam ipse magnus sapiens, Confucius, docuit. Necessarium itaque pro nostra tractatione praeponere brevem expositionem hujus doctrinae circa relationes parentum et prolium.⁽¹³⁾

Summum principium doctrinae confucianae consistit in imitatione Coeli, creatoris. Cum creator oculis humanis invisibilis sit, homo aspicere debet operationes quae sunt manifestationes externae ipsius Coeli. Operationes Coeli externae et visibiles sunt creaturae, quae constituunt unum quoddam harmonicum et agit secundum ordinem praestabilitum a creatore. Ordo hic praestabilitus nihil aliud est nisi lex naturalis. Principium igitur imitationis Coeli convertitur in aliud principium vel aliam expressionem "agere secundum ordinem seu leges praestabilitas a creatore". Inter leges statutas a Coelo existit una quasi prima quae ita se habet: "Omnia redire debent ad suum principium". Coelum, creator, relate ad universam creaturam habet rationem principii; natura igitur creata in sua exsistentia et in suis operationibus incessanter ad Coelum tendit. Principium hoc morale valet etiam pro hominibus, qui, uti pars creaturae, in operationibus dispensationem a principiis communibus non habent.

Homo exsistentiam propriam a Coelo donatore accepit, quia universa creatura, largiente creatore, exsistere incepit. Attamen Coelum post creationem primi hominis personam humanam nunc non directe ex nihilo sui deducit; mediantibus vero parentibus ipse facit ut homines in mundo inveniantur. Parentes ergo sunt principium hominum proximum, quod rationem Coeli, uti principii, participant.

(13) Wang-gin-cheen, *Philisophia juris sinici*, Shaenghai 1934, p. 15. sq. Tchieu-fa, *ideologia moralis sinica*, Shanghai 1929, p.52 sq.

Ex rationibus nuper expositis Confucianistae concludunt parentes esse pro prolibus uti Coelum.⁽¹⁴⁾

Praeterea modus quo proles a parentibus procedunt diversus est a modis procedendi creaturarum non viventium. Proles enim a parentibus procedit per generationem, quae intimam connexionem genitoribus et genitis immisit atque efficit ut principium et principatum unum quoddam continuatum constituent.

Relationes inter parentes et proles ex his supra dictis rationibus deducuntur ita: parentes quantenus principium relate ad preles habentur ut ad rem propriam; proles relate ad parentes habentur ut ad originem suam. Proles non habet id quod dici potest proprium, omnia enim, quae proles habet, sunt parentum. Universa creatura dirigit propriam existentiam et propriae operationes ad Coelum uti finem suum ultimum; sic etiam homo ad Coelum tendit. Sed homo praeter Coelum, principium ultimum suae existentiae, habet aliud principium proximum, quod est parentes. Propterea homo parentes habet ut suum finem vitae proximum. Sicut Coelum mediantibus parentibus existentiam prolibus largitum est, ita proles existentiam et operationes mediantibus parentibus ad Coelum dirigit.⁽¹⁵⁾

(14) Lèon Wiegier S.J., *Histoire des Croyances religieuses et des opinions philosophiques en Chine*. Hien-Hien 1927; p.136.: "Pour renforcer la monade familiale, base de sa politique, Confucius prêcha sans cesse et exagéra à outrance les devoirs de la piété filiale. Il éleva l'exercice de cette piété au niveau du culte officiel du Ciel, et pensa qu'elle devait suivre au peuple comme religion. Écoutons-le, car son enseignement sur ce sujet fut gros de conséquences, et fit autorité en Chine jusqu'à nos jours..." Servir ses parents comme le Ciel, voilà la loi de piété filiale, dit Confucius - Des tous les êtres produits par le Ciel et la terre, l'homme est plus noble. Grâce à ses parents, il est né entier. Il doit mourir entier, s'il prétend au titre de fils pieux..."

(15) F. Noel, *Sinensis Imperii libri classici sex*, Pragae 1711; p. 479: "Pater respectu filii, ait Scio-kin est ut Coelum respectu rerum productarum; (ait glossa): sive ut Coelum est universale rerum omnium principium, ita pater est particulare filii principium." Hushih, *lineamenta historiae philosophiae sinicae*, Shanghai 1930. p.130.

Pietas filialis confuciana a doctrina catholica in hoc differt; nam pietas filialis in doctrina catholica est virtus moralis quae inclinat prolem ad praestandum amorem et cultum parentibus debitum; pietas vero confuciana est virtus quae inclinat prolem ad dirigendos omnes suos actus in honorem parentum. Ratio, qua Confucianistae hoc affirmant consistit in hoc quod parentes sunt Coelum prop prolibus et proles sunt pars ipsorum exsistentiae. Actus proprii virtutis pietatis filialis confucianae iidam sunt ac in doctrina catholica, sed actus imperati hujus virtutis apud Confucianistas comprehendunt omnes actiones prolis; hoc in pietate filiali catholica minime verificatur.⁽¹⁶⁾

Officium pietatis filialis practice in triplex dividitur: officium sustentationis, officium reverentiae et officium honoris.⁽¹⁷⁾

Sustentatio dupliciter habetur; sustentatio materialis et sustentatio spiritualis. Sustentatio materialis impletur per praestationem alimenti et hoc officium est infimum quod ab aliquibus animalibus instinctive fieri videtur. Sustentatio spiritualis praestationem materiam in altiore perfectionis gradum elevat, nam ea praeter alimenta curat adhuc de satisfactione et gaudio parentum. Reverentia parentibus debita obligat liberos ut ipsi parentes suos interne externeque ament, veneratione eos ubique prosequantur et praecepta eorum dociliter exsequantur. Persona parentum sacra est eo quod dignitatem Coeli investit.

Amplitudo fere immensa est in officio honoris; proles in suis omnibus actionibus meminere debent honorum parentum et magna cum trepidatione procedunt ne suas propter negligentias malitiae paren-

(16) Lèon Wieger S.J., *Histoire des Religions religieuses et des opinions philosophiques en Chine*. Hien-Hien 1927,; p.142.

(17) Li-ki, cap. de sacrificiorum sensu. (A. Zottoli, *Cursus litteraturae sinicae*, vol.III, p.733.) (Shanghai 1880)

"Tseng-tse (discipulus praedilectus Confucii) ait: pietas est triplex: major pietas honorat parentes, earum secunda non dedecorat, earum inferior potest ministrare (alimenta)."

tibus viterperationes calumniasque afficiant. Nec prolibus sufficit vitare mala sed oportet ponere actiones bonas ut parentes ex bonitate et capacitate prolum laudibus in societate honorentur.

Pietas igitur filialis in doctrina confuciana est centrum omnium virtutum; ipsa movet alias virtutes; ipsa totam existentiam prolis imperat.

Caput I

De Fundamento Et Natura Potestatis

Patriae In Jure Canonico

Articulus I. De fundamento potestatis patriae in jure canonico

Potestas in sensu generali audit vim illam moralem qua aliquis caeteras personae dirigit secundum suam voluntatem ad finem determinatum. Parentes proles suas dirigere possunt et debent; hoc a nemine sanae mentis negatur. Nam proles infantes ex uteris maternis nuper expressae, absolute incapaces providendi vitam propriam et in omnibus materno paternoque auxilio indigent. Incapacitas prolium, crescentibus annis, paulatim diminuitur et indigentiae de auxiliis pari passu decrescunt.

Datur igitur naturalis exigentia protectionis in proliis minoribus; supposita vero hac exigentia, proles minores naturaliter subjiciuntur illi personae protectori. Protector proliis, natura auctore, est parens.

I. Potestas patria fundatur in jure naturali et in jure divino positivo. -De jure naturali est ut quando proles ad suam evolutionem defensionemque auxiliis parentum indigent, sub potestate parentum maneant, quia infantes usu rationis destituti naturaliter agunt non per seipsos sed per personas curam suam gerentes; et minores debiles in ratiociniis facilesque in deceptionibus operantur sub tutela earum personarum adstricticium. Personae quae a natura infantibus curatores et minoribus adstrictrices datae sunt eorum parentes sunt et tantum his deficientibus aliae personae assignantur. Hoc factum naturale in historia populorum sine discrimine temporum ac locorum semper nitide invenitur, quod ad suam existentiam probandam argumentis manu factis non indiget.

Notissimus omnibus est Decalogus decem praeceptorum quae a Domino in Veteri Testamento Moysi, servo suo fideli, commissae sunt

ad gubernium populi electi Israelis et in Novo Testamento a Jesu Christo renovatae ejusque ab Apostolis praedicatae sunt in aedificationem omnium. "Audi, fili mi, disciplinam patris tui et ne dimittas leges matris tuae." (Prov.I, 8.); "Nam et ego filius fui patris mei, tenelus et unigenitus coram matre mea. Et docebat me atque dicebat: suscipiat verba mea cor tuum; custodi praecepta mea, et vives." (Prov.IV,3.); "Audi patrem tuum, qui genuit te." (Prov. XXIII,22.); "Si genuerit homo filium contumacem et protervum, qui non audit patris aut matris imperium, et coercitus obedire contempserit, apprehendent eum, et ducent ad seniores civitatis illius, et ad portam judicii." (Deut.XXI,18-21.); et in Exod.XX decem praecepta annuntiantur. Obedientia versus parentes enixe commandatur in his textibus sacris, eo quod parentes potestatem in proles habent.

Ipse Christus in Evangeliiis Matt.XV,4., et Marc.X,19., submissionem honoremque parentibus debitum iterum atque iterum promulgavit et Apostolus Paulus praeconium hujus praecepti longe fecit. Ad Ephes.VI,2.: "Filii obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est." Ad Col.III.20.: "Filii obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum est in Domino." In his textibus oraculum divinum filiis monitum dat ut subditi sint parentibus eisque obedientiam praestent.

II. Potestas patria fundatur remote in facto generationis prolis et proxime in officiis sustentationis et educationis.⁽¹⁾

1. Potestas patria remote fundatur in facto generationis prolis. Potestas uti nomen correlativum suum terminum exigit idest subditum in quem ipsa dirigatur atque exerceantur. Subjectio qua aliquis sub imperio alterius efficitur a jure vel naturali vel positivo determinatur secundum certam rationem. Ratio subjectionis est fundamentum vel titulus potestatis. Cur iste puer pertinet potius ad suos parentes non vero ad alias personas, eisque potius subjicit quam caeteris personis? Etenim cum parentes prolem genuisset, ipsi ei aliquid suum proprium

(1) Augustus Ferretti, *Institutiones philosophiae moralis*, Romae 1891, vol.III, n.137. J.A. Zallinger, *Institutiones juris natur. et eccles.* Romae 1832, L.II, cap. III, p.378.

idest suum esse communicavit; nam prolis est sanguis de sanguine et caro de carne genitorum. Propterea parentes jus in prolem simul cum generatione acquisiverunt, ut ait S. Thomas: "Sicut autem carnalis pater particulariter paticipat rationem principii, quae universaliter invenitur in Deo;... quia pater est principium et generationis, et educationis, et disciplinae et omnium quae ad perfectionem humanae vitae pertinent."⁽²⁾ "Filius enim, inquit iterum Doctor Angelicus, naturaliter est aliquid patris: et primo quidem a parentibus non distinguitur secundum corpus, quamdiu in matris utero continetur; postmodum vero ab utero egreditur, antequam usum liberi arbitrii habeat, continetur sub parentum cura, sicut sub quodam spiritali utero...."⁽³⁾

Subjectio prolis patriae potestati remote causatur a nativitate; etiam propter eam rationem, nam proles nascitur in societate familiari, cujus regimen sub potestate patria habetur. Infans nunc per natus efficitur membrum hujus societatis ejusque potestati subjicitur.

Contra hanc sanam doctrinam sunt diversae opiniones philosophicae et juridicae, quae augmentis etiam barbaricis docent infantem non nasci parentibus sed vel humanitati vel statui. "Absolutismus liberalis, cujus primae radices sunt in absolutismo pseudophilosophiae positivisticae Fichte (quorum consentiunt Schelling et Hegel) denegat nativum jus parentum quoad filios, qui primum omnium ad humanitatem, ad Statum scilicet pertinere dicuntur."⁽⁴⁾

(2) S. Thomas, II-II, q.CII, a.I.

(3) S. Thom. II-II, q.X, art. XII.

(4) A. Ottaviani, *Institutiones juris publici ecclesiastici*, Romae 1936, vol.II, p.232.

Enciclopedia Italiana di scienze, lettere e arti, vol.XIV, 1932, p.847, ad verbum "Fascismo": "Antiindividualistica, la concezione fascista è per lo Stato; ed è per individuo in quanto coincide con lo Stato, coscienza e volontà universale dell'uomo nella sua esistenza storica...Giacchè per il fascista, tutto è nello stato, e nulla di umano o di spirituale esiste, e tanto meno ha valore, fuori dello Stato..." *Civiltà cattolica*, 1934, vol.II, p.358.: "Sull'individuo lo Stato ha tutti i diritti: di mutilarlo e di sopprimerlo, di sbandirlo e di opprimerlo, di chiamarlo alla partecipazione della vita pubblica o di negargli i diritti civili. La fonte unica di tutti i diritti è la razza, e quindi lo Stato, il quale concede all'uomo certe facoltà che può ritirare quando vuole, e come vuole, senza rispetto alcuno alla persona umana."

Recenter doctrina politico-juridica Totalitalismus potestatem Status nimis exaggerans jus naturale parentum in prolem depraedare conatur; affirmat enim haec doctrina hominem a sua nativitate esse rem Status, in quam parentes nullum jus vindicare possint, nisi de concessione Status antea habita, docet etiam Statum esse unicam fontem omnium jurium.

Contra has montruosas assertiones Romani Pontifices gravem veritatis vocem elevaverunt. "In quo tamen concors est communis generis humani sensus, ut cum eo aperte ii omnes pugnent, quotquot affirmare audent, prolem ante ad civitatem quam ad familiam, et civitati jus esse educandi absolutum. Pro nihilo autem est ratio, quam isti afferunt, hominom nasci civem ideoque ab initio ad civitatem pertinere, cum neutiquam reputent, hominem, antequam civis sit, vivere oportere, eundemque vitam non ab civitate sed a parentibus accipere; ut sapienter Leo XIII: Filii sunt aliquid et veluti paternae amplificatio quaedam personae, proprieque loqui si volumus, non ipsi per se, sed per communitatem domesticam, in qua generati sunt, civilem ineunt ac participant civitatem." Itaque: "patria potestas est ejusmodi, ut nec exstingui, neque absorberi a reipublica possit, quia idem et commune habet cum ipsa hominum vita principium."...⁽⁵⁾

Pius IX in suis litteris encyclicis "Quanta cura" (8.Dec.1864) hos errores disseritis verbis damnavit: "Etenim funestissimum Communismi et Socialismi docentes ac profidentes errorem asserunt" societatem domesticam seu familiam totam suae existentiae rationem a jure dumtaxat civili mutuari; proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere jura omnia parentum in filios, cum primis vero jus institutionis educationisque curandae."⁽⁶⁾

Damnatio explicita etiam habetur in propositione XXIX Syllabi:

(5) Pius XI, litter. encyc. "Divini illius magisterii" (31 Dec. 1929) A.A.S. vol.XXI, 1929, p.508.

(6) Denzinger, Enchiridion Symbolorum, p.461, (n. 1694)

"Reipublicae status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus."⁽⁷⁾

2. Potestas patria proxime fundatur in officiis sustentationis et educationis. -Generatio rationem ultimam quidem dat cur prolis ad parentes pertineat ejusque potestati subjiciatur; attamen generatio non determinat speciem potestatis. Idcirco debemus inquirere aliquod aliud proximum fundamentum seu titulum quo potestatem parentum specificare possimus. Hoc fundamentum proximum consistit in officiis naturalibus parentum versus proles.

Matrimonium de natura sua onus conjugibus imponitur: Ne omitat parochus secundum diversam conditionem personarum, sponsos docere sanctitatem sacramenti matrimoniinmutuas conjugum obligationes et obligationes parentum versus prolem..." (can. 1033) -In initio vitae conjugalís Ecclesia suis monitis per os sacerdotis conjuges adhortatur ut ipsi cognoscant matrimonium non esse ordinatum principaliter ad solatium voluptatemque consequendas sed ad adimplenda officia a creatore imposita. Officia naturalia parentum versus prolem deducuntur ex fine matrimonii." matrimonii finis primarius est procreatio atque educatio prolis..." (can. 1013) -Deus, creator, primos homines de sua benignitate actione divina directe formavit, statuit vero ut propagatio generis humani non jam per creationem directam perficiatur sed per conjunctionem maritalem. Infans ex utero materno egressus, vix respirationis capax, omnibus mediis ad conservationem evolutionemque vitae suae est destitus. Parentes, cum cognoscant hoc corpusculum esse sanguine de suo sanguine et carne de sua carne, instinctu naturali infantem in sua cura suscipiunt. Sed homo, animal rationale, non subsistit tantum in vita physica, sed etiam, imo praesertim, in vita intellectuali morali. Loquela, quam infans in sinu materno sensim acquirit, instructio, quam parentes puerullis elemental-

(7) Denzinger, *Enchiridion Symbolorum*, p.469, (n. 1739)

Pro doctrina germanica de Statu confertur A. Messineo, *La concezione dello Stato nel III Reich*, in *Civiltà cattolica*, 1934 pp.354-358.

iter dant, sunt prima educatio ad vitam intellectualem et moralem. Quae educatio postea ad perfectionem perducere a parentibus debet. "Filii tibi sunt? Erudi illos et curva illos a pueritia illorum." (Eccli. VII. 25) "Parentes gravissima obligatione tenentur prole educationem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem pro viribus curandi, et etiam temporali eorum bono providendi." (can. 1113)

Cumque unus aliquem in curam tenere obligetur, jus saltem ipsi competit disponendi et ordinandi ea omnia quae ad curam praestandam pertinent et jus exigendi alias personas ipsamque personam curandam exequi dispositiones datas; nam secus officia curationis nunquam perfecte impleri valeant.

Excellentia parentum potest quidem gignere in eis quandam auctoritatem, sed ista auctoritas sub ratione tantum venerationis prolem obligat; beneficia prolibus facta a parentibus etiam possunt esse fons auctoritatis, tamen haec auctoritas inducit prolem tantummodo ad gratitudinem. Itaque "titulus seu ratio, ait clarissimus Ferretti, propter quam naturae lex parentibus tale jus confert, est foetus generationis una cum naturali exinde dependente officio educationis impertienda...Hinc autem solvitur quaestio: in quo fundetur seu ex quo sit repentendum hos jus quod parentes habent in filios. -Errant ii, qui patriam potestatem in filios repetunt ex jure victoriae et prima occupatione (ita Hobbes, de cive c.9: "Jure naturae victor victi dominus est. Jure igitur naturae dominium infantis ad eum primum pertinet, qui primus in potestate sua ipsum habet. Manifestum autem est, eum, qui modo nascitur, prius esse in potestate matris, quam cujusquam alterius ita ut illum vel educare vel exponere suo arbitrio et jure possit.") Homines enim non occupantur, perinde ac bestiae, uti res nullius. -Nec minus errant ii, qui patriam potestatem repetunt ex pacto, expresso ex parte parentum, tacite ac praesumpto ex parte liberorum. (Pufendorf, de offic.hom.et civis, L.I.c.3. ac si officium naturale praebendae educationis esset basis ac fundamentum insufficiens, ait: "Deinde imperium parentum in liberos tacito quoque consensu proles innititur. Nam recte praesumitur, si infans eo, quo sublatus est, tempore usum rationis habuisset, ac perspexisset, vitam se citra parentum curam ac junctum ipsi imperium servare non posse,

libenter illam in id consensuram, commodamque sibi educationem ac iisdem vicissim fuisse stipulaturam.") -At liberi sive velint sive nolint naturali subsunt officio obedienti parentibus, et hi vicissim naturali tenentur obligatione filios educandi. Neque ex educationis officio potestas paterna repeti primitus potest. Manifeste enim illud educandi officium dependet ex antecedenti facto generationis. Patria igitur potestas primitus repetenda est ex nativitate, secundario autem et consequenter ex educationis officio, quod ex generatione dependet. Hic est duplex titulus in quo fundatur, haec est duplex ratio ob quam talis potestas a naturae lege parentibus confertur." (8)

Attamen non plane adhaeremus opinioni, quae asserit fundamentum proximum potestatis patriae consistere tantum in officio educationis.⁽⁹⁾ -Videtur nobis melius esse ponere proximum fundamentum paternae potestatis in officio tam sustentationis quam educationis. Pro educatione sine dubio adest necessitas admittendi in educantibus potestatem; sed potestas educationis non exhaurit parentum potestatem; nam pro educatione sufficit ut alii non impediunt actionem educativam et proliis ordini eorum obediat. Patria vero potestas praeter haec objecta educativa comprehendit etiam alia objecta v.g.agere nomine proliis, supplere ejus voluntatem.

Officium naturale parentum versus prolem ab omnibus affirmatur

(8) A. Ferretti, *Institutiones philosophiae moralis*, Romae 1891, vol.III, p.120.

(9) Hanc opinionem docent Ferretti, Zallinger et V. Cathrein.

"Fundamentum igitur potestatis parentalis ex fine et natura societatis inter parentes ac illos derivandum est; quae societas sicut proxime a ipsa natura constituta est, ita nec fine nec mediis ad finem obtinendum necessariis carere potest. Quemadmodum vera societas parentalis, ejusque finis, nempe educatio proliis ex generatione oritur; sic generatio causa remota potestatis parentalis censi potest." (J.A. Zallinger, *Institutiones J.N. et E.* Romae 1832, L. II, cap. III, n.5.)

"Cum parentes habeant officium naturale educationis, iis jus quoque hoc officium exercendi competit." (V. Cathrein, *Philosophia moralis*, ed. XVII, n.534. idem asserit etiam in *Filosofia Morale*, vol.II, p.468. transizione italiana, Firenze, ed.III.)

esse duplex, scilicet sustentatio et educatio. Nunc vero ratio non habetur cur sustentatio a fundamento potestatis patriae excludere debeat. Certum est quod officium sustentationis non semper confert sustentantibus auctaroitatem in personam sustentandam; prolis enim aliquando tenetur etiam parentes sustentare. Tamen quando sustentatio non est simplex administratio alimenti, sed etiam in se continet officium protectionis, tunc saltem jus est personae protectrici praecavendi detrimenta pupillo suo et exigendi pupillum dependere a sua voluntate; nam si pupillus in agendo a potestate vel voluntate protectoris personae non dependeret, ipse omnibus deceptionibus expositus est et sic opus protectionis frustratur.

Articulus II. De natura potestatis patriae in jure canonico

I. Potestas patria est potestas dominativa ⁽¹⁰⁾ 1°

Potestas qua superior inferiores ad finem propositum dirigit, diversis modis dividi potest; divisio vero quae nostra interest, ea est quae potestatem in jurisdictionalem et dominativam disperscit. Potestas jurisdictionalis est ea qua superior jus dicit et residet in capite societatis perfectae, participatur quoque ab ejus ministris. Haec potestas appellari etiam potest complexus jurium vel facultatum societatis perfectae, quas ipsa uti corpus organicum sociale in ordine ad suum finem consequendum obtinet et excercetur per actus legislativos (quoque per praeceptivos) executivos et judiciarios. Notio potestatis

(10) Suarez, De legibus, L.I.C.8, n.4 sq. (Opera Omnia, Pariis 1856, tom.V, p.35, sq.)

Franciscus Schmalzgrueber, Jus Ecclesiasticum, Romae 1844; tom.I, pars altera, L.I, tit.XXXI, n.32.

Marianus De Luca S.J., Praelectiones juris canonici, Romae 1897, L.I, de personis; p.217 sq.

Wernz-Vidal, Jus canonicum, Tom. de religiosis, Romae 1933; n.93.

Vermeersch-Creusen, Epitome J.C., Brugiis 1933; tom. I, n.619.

in potestate jurisdictionali plene exprimitur, quia in ea vis directiva ordinem independenter creat omniaque ad ejus executionem media necessaria in se habet. Potestas dominativa invenitur in societate imperfecta et non undequaque sibi sufficiens; persona enim in qua residet haec potestas, suum imperium in voluntatem subditorum quidem exercet, sed ad urgendam executionem omnia media disponere nequit. Definiri videtur posse potestas dominativa: "esse ea potestas quae capiti cujusvis societatis competit praecipendi, dirigendi atque moderate corripiendi seu castigandi menbra ejusdem societatis in ordinem ad consequendum finem societati propositum."⁽¹¹⁾

Differentiae inter has duas species potestatis ab auctoribus plures numerantur; sufficit autem nobis referre tres principales a Clarissimo Suarez propositas: "Inter illas autem potestates, ut in personas versantur, cum multae aliae differentiae assignari possint, tres sunt, quae ad praesentem causam faciunt. Una est quod potestas dominativa est circa privatas personas, seu inter partes imperfectae communitatis, et interdum est ex jure naturae per naturalem originem tantum, et ex vi illius, ut est patris potestas in filium; interdum est etiam natura, supposito pacto humano, ut est potestas viri in uxorem, in ordinem ad gubernationem domus et personae: aliquando est ex jure gentium vel civili ut potestas domini in servum bello captum; interdum ex humano contractu, ut dominium in servum, qui se vendidit; et huc spectat potestas, quae per votum obedientiae confertur ei, cui obedientia promittitur. At vero potestas jurisdictionalis per primo respicit communitatem perfectam, nam pertinet ad politicam gubernationem, quae in tali communitate est necessaria; nam ad imperfectam sufficit prior potestas. Atque hinc sequitur 2^o differentia, quia in potestate jurisdictionis multo major vis ad coercendum et cogenum invenitur, quam in potestate dominativa; tum quia major est potestas communis quam privata; tum etiam quia ad communitatem perfectam tuendam et omnes partes ejus in officio continendas major coercitio necessaria est, quam in

(11) Wernz-Vidal, J.C. tom. III. de religiosis, Romae 1933, n.93.

privata domo vel inter privatas personas; et ita non licet domino saevire in servum ut dicunt jura civilia, expetit reipublicae ut severior correctio nonnisi auctoritas publica fiat. Unde est etiam notanda 3^o differentia, quia dominativa potestas ordinarie magis est in commodum habentis illam, quam ejus in quem habetur, licet aliquando contrarium possit inveniri, maxime quando confertur ex pacto voluntario in eum finem ordinato ut in obedientia ex voto debita, frequentius servatur; posterior potestas per se et primitive institutione sua est propter bonum communitatis in quam datur....Ex his ergo concluditur veluti 4^o differentia, quae ad praesens refertur. Dicendum est enim ad ferendas leges necessariam esse potestatem jurisdictionis, nec solam dominativam per se sufficere."⁽¹²⁾

Ex verbis Suarez supra citatis deducimus potestatem dominativam: a) exerceri circa personas privatas, idest in bonum privatum; b) dicere tantum praecepta cum aliqua coercitione; c) generatim in commodum habentis.

Patria potestas nuncupatur potestas dominativa. Ratio est, quia societas familiae de natura sua non constituit societatem perfectam; ita multo minus societas parentalis, quae finem in suo ordine ultimum et media omnia necessaria non habet. Idcirco potestas, quam parentes in prolem exercent, non est de potestate jurisdictionali; etenim parentes in familia non exercent quoddam gubernium politicum.

II. Finis potestatis patriae est in bonum prolis

Innaturale est tenere prolem uti rem propriam eamque ad suam utilitatem adhibere. Liberi ex voluntate creatoris per matrimonium generandi sunt ut humani generis existentia in mundo continuari possit; matrimonium igitur ad existentiam prolis ordinatur. Cumque proles susceptae de matrimonio fuissent, conjuges de earum conservatione et perfectione curam habere debent. Ita potestas patria, quae

(12) Suarez, *De legibus*, L.I, c.8, no.5-6. (Opera omnia Parisi 1856, tom.V, n.36.)

parentibus data est ad meliorem suorum officiorum impletionem, ad utilitatem prolis ordinanda est, neque potest considerari jus domini vel proprietatis esse.

Dicendum vero etiam est quod potestas patria non unice et totaliter ordinatur ad bonum prolis, quia ipsa parentibus quaedam jura confert quae sunt in commodum eorum. Ultimum fundamentum patriae potestatis consistit in generatione, quae parentes efficit superiores, et benefactores prolibus. Parentes jus habent exigendi a prolibus reverentiam, amorem et, dato casu, etiam sustentationem. Hae omnis in utilitatem parentum sunt. Possumus igitur dicere patriam potestatem primarie ordinari ad bonum prolis, secundarie ad commodum parentum.

Bonum prolis practice consistit in sustentatione et educatione; parentes in exercitiis suae potestatis haec duo prae oculis semper habere debent.

III. Objectum potestatis patriae

Potestas patria sese extendit ad ea omnia quae ad finem suum consequendum necessaria sunt. Finis autem quem potestas paterna tendit est sustentatio et educatio prolis. Omnes actus sive positive sive negative circa haec duo officia sunt de parentum potestate. Parentes jus habent agere contra quempiam qui eos ad sua officia adimplenda impedirent. Attamen quidquid non est de sustentatione et educatione, extra parentum potestatem est; itaque liminia quaedam huic potestati ponimus.

1. Limen quoad objecta. Limen generale ita annuntiari potest: id quod non pertinet ad sustentationem et educationem vel contra eas non continetur in potestate patria. Limina magis particularia sic describi queunt: 1) id, quod est contra vitam prolis a parentibus, imperari non potest; 2) id, quod est contra educationem sive physicam sive intellectualem sive moralem sive religiosam prolis, non potest a parentibus ordinari; 3) id, quod pro vita est stricte necessarium, non cadit sub potestate parentum; 4) id, quod prolibus obligationem totam per vitam duraturam introducit, non potest fieri a potestate parentum; 5) id,

quod per positivam voluntatem divinam ad prolem pertinet, non subjicit patriae potestati.

2. Limen quoad tempus. Duratio potestatis patriae determinatur a fine suo. Cum haec potestas a natura instituta est ut incapacitas et imbecillitas prolium in agendo a parentibus suppleantur, potestas eorumque perdurat quamdiu incapacitas atque imbecillitas habentur. Incapacitas vero et imbecillitas prolium non protrahendae sunt per totam eorum vitam, quia usus rationis evolvitur normaliter juxta progressum aetatis. Terminus, in quo parentum potestas cessare debet, a natura generali modo stabilitus habet tempus, quo prolium, usu rationis satis evoluto, per seipsum vivere et agere sine periculo jam capax est. Usus rationis in aetate puerili et juvenili pedetentim perficitur, et capacitas agendi simul crescit. Crescente capacitate prolium, parentum potestas diminuitur. "Naturaliter impuberes vocantur, qui per aetatem nec de alimentis sibi met prospicere, neque suas ipsi actiones ad vitae conservationem, perfectionem ac beatitatem regere satis possunt: naturaliter minores, quidem se, actionesque suas regere, non tamen providere sibi de alimentis, vel bona sua ac res curare, recte administrare norunt. Qui vero, ut suo judicio, utrumque agant, satis idonei sunt, censentur naturaliter majores; eoque tempore liberi veluti emancipantur, seu e parentali potestate dimittuntur."⁽¹³⁾

Jus positivum humanum terminum et gradus a naturali lege vago modo constitutos praescriptionibus concretis stabilit et generatim dividit aetatem prolium in infantiam, minoritatem et majoritatem. In aetate infantili potestas patria est completa; in aetate minori patria potestas exercetur cum limitatione; celebrata majoritate, potestas parentum cessat. Jus canonicum propriam normam de aetate, innixum principio naturali, constituit et dividit aetatem in minorem et majorem; minorem iterum in puberem et impuberem; impuberem iterum in infantilem et impuberem simpliciter. (can. 88) Potestas patria juridice terminatur in die quo prolium majorem aetatem compleverit, quia

(13) J.A. Zallinger, *Institutiones* J.N. et E. Romae 1832; L.II, c.III, n.I.

persona major plenum suorum jurium exercitium habet. (can. 89.)

IV. Subjectum potestatis patriae

Potestas patria naturalii jure competit patri et matri. Cum fundamentum hujus potestatis remote ponitur in generatione prolis, proxime in officiis sustentationis et educationis, pater et mater naturaliter tum ad generationem cum ad sustentationem educationemque prolis insimul concurrunt. Ideoque naturale est admittere potestatem patriam residere in utroque parenti. Tamen negari etiam non debet quod pater naturali dispositione suffultus, magnum pondus in sustentationis ac educationis praestatione habet, et potestati maritali auctus superior est in exercitio potestatis patriae quam mater. Exercitium igitur hujus potestatis magnopere est apud patrem.

Codex juris canonici quando mentionem facit de potestate patria, utitur termino "parentes" et distinctionem non facit de patre et matre (can. 860, 1335, 1456, 1684). Inde codex supponit potestatem patriam utrique parenti competere. Tamen ex hoc concludi non licet, quod codex etiam admittit differentiam non dari inter patrem et matrem in exercitiis hujus potestatis, quia primo codex superioritatem mariti asserit (can. 93) et secundo quia haec est doctrina traditionalis Ecclesiae. Benedictus XIV PP. in litteris encyclicis "Probe" (15 Dec. 1751) clare docet: "etenim potestas patria, ut dictum superius, in patre non autem in matre consistit. En, inquam, casum, ubi posita in altera trutinæ lance tum patria naturali potestate, quam pater filium generando acquirit, tum etiam illa, quae eidem tanta amplitudine a jure civili attributa est, ex altera vero parte posita dumtaxat aliqua illa potestate quam mater ex naturae lege in filii generatione acquirit sine alio quopiam juris civilis praesidio; haec trutinæ pars alteri praevallet, propter illud ponderis, quod ex favore religionis eidem accedit. (in offerendo prolem ad baptismum.)"⁽¹⁴⁾

(14)Benedictus XIV, Litter. encye. "Probe", (Card. P. Gasparri, Fontes J.C. Romae 1928; vol.II, p.349)

Sed istud exercitium potestatis patriae practice videtur sequi debet praescriptiones juris civilis, quia jus canonicum proprias leges non constituit, servata aequitate canonica.

Schollon I. Differentia inter potestatem patriam et potestatem patrifamilias

Potestas patrisfamilias per identitatem personae exercentis vel per dispositionem juridicam saepe cum potestate patria conjungitur; sed hae duae non sunt confundendae. Nam potestas patrisfamilias subjective residet in capite familiae et exercetur in ea omnia quae ad ordinem familialem pertinent. Finis igitur hujus potestatis et consequenter ambitus ejus magis patet quam potestas patria. Postea hae duae potestates de natura sua etiam differunt, nam potestas patrisfamilias in suo exercitio non tangit capacitatem agendi membrorum familiae nisi in quantum requiritur ab ordine communi familiae; potestas patria e contra tangit semper capacitatem prolis. Idcirco prolis major non manet sub potestate patria, sed remanere sub potestate patrisfamilias patris potest.

Schollon II. Differentia inter potestatem patriam et tutelem simplicem

Tutela ⁽¹⁵⁾ a Severio Sulpicio romano jurisconsulto (+ a.43.a.Ch.) definiebatur: "tutela est jus ac potestas in capite libero ad tuendum eum(eamve) qui(eave) propter aetatem (vel sexum) se defendere nequit, jure civili data ac permissa." (Fr.1.Dig.XXVI, I; Inst.I, I,13,1.) -In jure romano tutela distinguebatur in duas species: tutela impuberum et mulierum; haec posterior in decursu temporis evanescit. Tutor impuberi datur quando iste paterna defensione non habet." In jure romano praecipua jura, seu potius officia (tutoris) tria sunt: jus et officium curandi personam pupilli, vigilandi scilicet super educa-

(15) Gommarus Michiels, Principia de personis in Ecclesia, 1932; p.41.

Phillipus Maroto, Institutiones J.C. Romae, ed. III.; p.509 sq.

tionem eique praestando alimenta; jus et officium administrandi pupilli patrimonium, ita ut patrimonium ejus integre servetur et pro posse augeatur; praecipuo vero jus et officium interveniendi in negotiis pupilli, vel negotium per seipsum sine ulla pupilli participatione gerendo vel diminutam pupilli capacitatem seu cooperatione integrando vel auctoritatem solemniter, juxta formas praescriptas, interponendo."⁽¹⁶⁾

Aliud institutum juridicum simile tutelae in jure romano erat cura, quae adiventa est ad succurrendum illis qui aetate immaturi nec potestati patriae vel tutelae subjecti sunt. In principio differentiae habebantur inter tutelam et curam, sed in jure hodierno discrimen generatim non amplius datur. Jus canonicum tam tutelam quam curam admittit et in effectibus juridicis eodem modo eas considerat. (can. 860, 1335, 1456, 1648.)

Sed tutela simplex differens habenda est a potestate patriae. Tutor minoribus a lege datur ad supplendum defectum parentum eorumque locum tenet; tamen tutor in potestate parentibus non aequiparatur. Potestas tutelae differt a potestate patriae in origine, quia potestas patriae datur a naturae lege, ideoque ipsa non dependet a positivo jure humano neque ab eo absorberi vel extingui potest. Potestas autem tutelae a lege civili vel ecclesiastica datur, et sic a lege positiva humana tam quoad existentiam quam quoad amplitudinem dependet. Exinde hae duae potestates differunt etiam in natura; etenim parentes in proles potestatem exercent, innixi titulo innato; tutor auctoritatem in pupillum exercet propter titulum adventitium. Propterea ait clarissimus Ogetti: "Patria potestas differt a tutela origine, natura, extensione. Origine quidem, quia patria potestas a natura est, tutela ab ordinatione juridica. Quare pater repraesentat et defendit filium potestate, quam ei natura confert et lex recognoscit; tutor hoc idem praestat, non potestate quadam congenita aut sibi inherente, sed potestate ei jure vel homine concessa. Hic defensio seu tutela filii in patre est functio

(16) Gommarus Michiels, *Principia de personis in Ecclesia*, 1932; p.42.

quaedam seu modus patriae potestatis, quo se ipsa explicat et actuat; in tutore est exercitium mandati sibi commissi. Quare una ab altera natura et essentia ipsa sua discriminantur. Sed differunt quoque extensione. Nam potestas patria, quae tutelam complectitur, sed ea non exhauritur, non solum repraesentat filium eumque defendit, verum multas habet praerogatives quae ad tutorem non spectant."⁽¹⁷⁾

Jus canonicum saepe tutorem simul cum parentibus considerat in officiis et juribus (can. 860, 1335, ...), sed in aliquibus casibus nominat tantummodo parentes non vero tutores, v.g. can. 1034 542 n.2, In can. 1034 jus considerat consensum parentum ad liceitatem matrimonii prolis et in can. 542, n.2. obligationem parentum et prolium in mutua sustentatione. Hae duo tutoribus non competunt. Etenim parentes versus proles proprias praeter officium et jus sustentationis et educationis communionem sanguinis habent, quae plura praerogativa eis confert.

(17) Ogetti S.J., *Commentarium in Codicem J.C.*, Romae 1928, L.II, p.28.

Caput II

Effectus Juridici Potestatis Patriae

In Jure Canonico

Articulus I. Effectus juridici potestatis patriae in jure canonico in genere.

Potestas patria a jure naturali condita et a jure positivo humano recognita est institutum juridicum quod non paucos nec leves effectus secumfert. Qui effectus in persona potestatem habenti scilicet parentibus sunt complexus jurium et in persona in quam potestas haec exercetur sunt complexus obligationum. Causa fundamentalis horum effectuum in speciali subjectione voluntatis prolis consistit. Etenim pro actu humano requiritur voluntas libera et conscia, quae supponit et usum rationis et debitam rei cognitionem; prolis vero infans suam voluntatem non exercet propter defectum usum rationis; prolis minor, licet progressu aetatis, suam voluntatem exercere valet satis libere, sed propter defectum cognitionis insidiis deceptionibusque semper exposita est. Auctor igitur naturae in subsidium ac supplementum impotentiae tenerae aetatis instituit potestatem patriam, ut prolis vel per voluntatem parentum vel dependenter ab ea agere valeant. Ex hac speciali subjectione effectus in jure nascuntur.

Consideremus hos effectus sub duobus respectibus i.d. quatenus sunt jura in parentibus et quatenus sunt obligationes in prolibus. Primus respectus a nobis tractabitur in articulo de effectibus juridicis potestatis patriae in genere et secundus respectus in articulo de incapacitate prolis in agendo.

Effectus juridici potestatis patriae in genere, quatenus sunt jura parentum in prolem, considerari possunt quoad personam prolis, quoad actus juridicos et quoad bona.

I. Persona prolis subjicit potestati patriae

Quaecumque subjectio semper facit ut persona subdita a potestate superioris dependeat. Dependencia vero potest esse dupliciter: scilicet vel quoad materias determinatas, vel totaliter, salvis salvandis de jure naturali. Persona prolis est totaliter sub dependentia parentum, quia tota persona commissa est curae eorum; ideoque persona prolis non est sui juris sed est sub potestate parentum.

Parentes in personam prolis primo jus inspectionis seu vigilantiae et jus castigationis exercent, secundo caetera jura juxta determinationes juris civilis, vel ecclesiastici. In jure canonico jus parentum in personam prolis habetur in determinatione loci domicilii prolis (can. 93.), in irritatione voti, (can. 1312.) et aliquomodo in baptismo prolis.

Jus hoc parentum non autem est extendenda ad statum vitae prolis, qui de jure naturali unice a proli dependet. Prohibitio de interventione parentum in electionem status vitae prolis clare annuntiatur in can. 2352.)

II. Actus juridici prolis dependent a potestate patriae

Ad valide actus juridicos ponendos necessaria est capacitas agendi. Capacitas agendi est vel naturalis vel juridica, sed hae duae non semper identificantur. Proles infans est naturaliter incapax; proles minor normaliter habet capacitatem naturalem agendi, non autem capacitatem juridicam. In actibus juridicis prolis parentes igitur diversis modis interveniunt: vel ipsi agunt nomine prolis idest gestiunt negotium prolis, vel sua cooperatione diminutam prolis capacitatem integrant, vel suam auctoritatem interponunt. Ex his interventionibus parentum deduci potest quod a) parentes in agendo prolem repraesentant, b) validitas actus prolis generatim a potestate patria dependet, c) liceitas actus prolis semper a voluntate parentum dependet nisi parentes in casu irrationabiliter processerint.

Jus canonicum incapacitatem prolis minoris in exercitiis suorum jurium statuit can. 89, in causis juricialibus (can. 1648) in contractibus ad normam juris civilis respectivae nationis (can. 1529.)

Porro omnes actus prolis juridici, qui de jure naturali vel jure divino positivo exempti sunt a potestate patria, valide a prolibus independenter a voluntate parentum ponuntur. Sunt etiam actus, qui ex concessione juris positivi ecclesiastici vel civilis sunt in facultate prolis, ab ipsis valide exercentur.

III. Bona prolis sunt in potestate parentum

Parentes in bona prolis minoris ordinarie duas species jurium habent, scilicet jus administrandi et usufruendi. Administratio bonorum prolis minoris naturaliter pertinet ad parentes, quia parentes uti tutores naturales prolis, bona ejus conservare atque pro posse acrescere tenentur. Usufructus ad parentes rationabiliter etiam pertinet, nam parentes, onus sustentationis prolis suportantes, de bonis prolis aliquid emolumenti capare certe valet. "Quoniam bona fortunae ad conservationem perfectionemque vitae suo modo necessaria sunt, ac liberorum jura quoad ipsi per aetatem possint, parentes exercent, ipsi suo judicio, acceptatione, quae ad acquirendum dominium necessaria est, liberorum consensum supplere posse ac debere. Quod ipsa aetas tenera suo libere acquirit, perexiguum est fere, nec ad educationis sumptus sufficiens. Ipsa acquirendi facultas parentibus in acceptis ferenda est. Idcirco aequum est ducunt auctores quidam ut parentes istiusmodi bona, liberorum industria aut felici eventu facta tanquam primos educationis effectus degustent. Siquidem donatione, vel testamento etc. liberis detigit, par aequitas postulet, ut usufructus istiusmodi bonorum parentibus concedatur ad levandas educationis molestias..."⁽¹⁾

Circa bona prolis jus canonicum proprias praescriptiones non condidit, sed justas leges civiles uniuscujusque nationis recognoscit. De bonis vero personae religiosae codex juris canonici aliquas speciales leges habet. Jus canonicum interdicit novitio quominus ipse decursu novitiatus tempore renuntiationem vel cessionem de suis

(1) J.A. Zallinger, Institutiones J.N. et E. Romae 1832; L.II, c.III, n.186.

bonis faciat (can. 568.); obligat professum de professione simplici ad cedendam administrationem suorum bonorum quocumque siout ipse vult et ad disponendum usufructum (can. 569.); praecipit ut religiosus ante professionem solemnem bona sua renunciare (can. 581.); disponit ut omnia bona quae religiosus regularis quoque modo acquirit, ad religionem vel Sanctam Sedem pertineant. (can. 582.) In his omnibus canonibus mentio de potestate patria non fit; difficultas non habetur, quando persona religiosa est jam major, tunc praescriptiones canonicae expedite mandantur in executionem; sed difficultas exsurgit, quando persona religiosa est adhuc minor. Etenim codex praecipit ut novitius ante professionem votorum simplicium sive temporariorum sive perpetuorum ad totum tempus quo simplicibus votis adstringetur, bonorum suorum administrationem cedere debeat cui maluerit et nisi constitutiones aliud ferant, de eorumdem usu et usufructu libere disponat. Nunc vero quaeritur utrum jus canonicum in can. 569 consideret tantummodo novitium, qui administrationem bonorum per seipsum exercebat, vel etiam novitium cujus bonorum administratio juxta jus civile est penes parentes. Sensus citati canonis per se est generalis quia jus non facit hanc distinctionem; attamen ad sensum verbi "cedere" videtur jus loqui tantummodo de novitio administrationem in se tenenti. Ratio est quia verbum "cedere" significat officium quod aliquis antea in se habebat, nunc altero tradere. Postea spiritus legis etiam hanc interpretationem suadet, nam lex praescriptionem de cessione administrationis statuit ad praecavendas dissipationes religionis professi, nunc vero novitius per se non habet hanc curam, idcirco ad cessionem non tenetur. Nihilominus cessio semper facienda est si novitius bona habet, quia decursu temporis professionis ipse major fieri potest. Idem dicendum de usufructu esse videtur; cum jus canonicum parentes non privavit jure percipiendi usufructum de bonis prolis minoris. Prolis igitur novitius potest libere disponere de usufructu suorum bonorum, quando ipse major factus est. Dispositio ergo prolis minoris novitii de cessione administrationis et de usufructu fit ante professionem votorum simplicium, sed valere incipit quando ipse novitius major juxta praescriptionem juridicam nuncupatur.

Obstant huic interpretationi difficultates quarum praecipuae sunt

duae. Prima difficultas consistit in hoc quod prolis minor cum ingressu in religionem sese subtrahit a potestate parentum et submisit superioribus religiosis; ita etiam ejus bona non amplius remanent sub administratione parentum; propterea ipse potest libere de eis disponere. Secunda difficultas est haec, quae videt quandam exceptionem de incapacitate agendi a jure canonico prolibus minoribus concessam ad disponenda sua bona; nam legislator conscius est de facto quod novitius saepe minor est, et nihilominus statuit cessionem et dispositionem esse faciendam a novitio; manifestum ergo est quod legislator indulsit novitio minori capacitatem agendi. Si vero jus concessit capacitatem agendi novitio minori, sine dubio jus recognoscit liberam dispositionem bonorum ad novitium pertinere.

Ad primam difficultatem responsio dari potest talis. Prolis minor quando factus est religiosus, tempore remanentiae in religione est quidem subtracta a potestate parentum, sed non ipso facto ingressus in religionem emancipatur, quia, si professio non est secuta, prolis minor domum reversa iterum sub potestate patria manere debet. Et in jure canonico non habetur dispositio quae parentes obligat ad tradenda bona proli in momento ingressus religionis. Propterea parentes jus ad bona prolis religionis adhuc retinent usquedum jus eorum secundum legis praescriptionem cessare debeat.

Ad secundam difficultatem potest respondere ita: Exceptio de incapacitate agendi minori novitio concessa ad disponenda bona non est clara, quae admittenda est si sensus juris ita urgit. Sed si interpretatio hujus canonis fit uti supra exposita, jam non adest ista urgentia. Ergo difficultas non sustinetur.

Articulus II. De incapacitate agendi prolis minoris

Effectus juridici potestatis patriae in parte prolis sunt obligationes quarum una pars dependet a bona voluntate prolis in sua adimptione uti obedientia, altera autem pars non dependet a voluntate prolis in sua executione uti incapacitas agendi. Incapacitas agendi prolem minorem obligat ut ipsa acuts juridicos non ponat; haec dispositio juris, prole sive volente sive nolente, semper verificatur, quia inhi-

bitio a jure independenter statuta est. Inhibitio vero haec non est statuta in poenam sed in defensionem prolis. Etenim proles tum infantes cum minores in suis actibus defensione contra deceptiones indigent.

Incapacitas agendi consistit in hoc quod unus juridice invalide ponit actus ipsos de quibus jus incapacitatem statuit; quae incapacitas ergo non est incapacitas naturalis sed juridica. Ponere vero aliquem actum juridicum est exercitium alicujus juris, nam quis actum ponit, ad quem ipse jus habet; incapacitas ponendi actus juridicos aequivalet incapacitati exercendi jura sua.

Codex juris canonici in canone 89 ita statuit: "Persona major plenum habet suorum jurium exercitium; minor in exercitio suorum jurium potestati parentum vel tutorum obnoxia manet, iis exceptis in quibus jus minores a patria potestate exemptos habet." Idcirco persona minor incapax agendi habenda est.

Incapacitas agendi non tangit personalitatem juridicam prolis, quia persona juridica dicit subjectum capax jurium et obligationum et haec est persona prolis minoris; incapacitas agendi agit tantummodo de exercitiis jurium. Quis potest in se habere plura jura sed ea potestatem exercendi non habet. Quando agitur de incapacitate agendi prolis minoris, supponitur adesse jura in prole minori.

Incapacitas haec agendi consonans est rationi naturali et habetur in bonum prolis minoris ipsius. Nam actus juridicus legitime positus firmitatem habet neque semper est rescindibilis. Nunc vero persona minor ob suam ignorantiam facile decipi potest; si autem ipsa sola valide ageret, deceptiones immunerabiles cum gravi detrimento pati debet. Propterea natura ei parentes in tutorem posuit, ut ipsi proles minores protegerent. Protectio autem in agendo non habetur nisi parentes in negotiis prolis intervenire possunt et debent.

Canon 89 non quidem directe statuit incapacitatem agendi minoris, quia canon dicit subjectionem minoris potestati patriae in exercitiis jurium suorum; sed quia haec subjectio prolis significat quod proles, quatenus non est persona sui juris, in exercitiis jurium suorum dependet a potestate patriae, quae potest et debet intervenire in

negitiis prolis minoris ad coordinandam atque integrandam ejus capacitatem; idcirco in canone citato directe dicitur subjectio prolis potestati parentum in agendo, indirecte dicitur quod proles minor per seipsam solam non valide exercet sua jura. Hoc est incapacitas agendi.

Quaestio tamen fit apud auctores, utrum jus canonicum in hoc canone loquatur tantum de incapacitate juris canonici an etiam de incapacitate juris divini.⁽²⁾

Sed nobis videtur in textu praedicti canonis agi tantummodo de incapacitate juris canonici, non vero de juris divini sive naturalis sive positivi incapacitate.

Verum est quod in citato canone agitur de subjectione prolis potestati patriae in exercendis juribus suis, et etiam est verum quod subjectio haec prolis universalis habetur in exercitiis omnium jurium prolis nisi jus execeptionem statuit. Attamen, sicut notavimus, in supra dicto canone agitur etiam de incapacitate juridica agendi prolis et haec incapacitas in citato canone non est extendenda ad jus divinum.

Ratio est quia jus canonicum in citato canone non vult statuere illud principium quod a omnibus admissum dicit subjectionem prolis potestati patriae in exercendis juribus suis sed intendit ad statuendum illud principium quod praescribit prolem independentem a potestate patria invalide agit in Ecclesia, nisi in iis in quibus jus ecclesiae

(2) P. Gillet, -De exemptione a patria potestate; Ephemerides theologiae Lovanienses, Octob. 1934, p. 784 sq.

"Jus, ait Gillet, in praedicto canone, divinum quoque intelligendum esse putat Blat... Plerique tamen, cum Vermeersch (Vermeersch-Creusen, Epitome J.C. t.I, 5. ed. n.209; Michiels, Principia...de personis, p.45; M.C.A Coronata, Institutiones J.C.I. n.120; S.d'Andelo, Jus digestum, t. I. Romae 1927, n. 398; Claeys-Bounaert et Simeon, Manuale J.C., I, 3a ed. n. 239.) jsu de quo in isto canone esse unice jus canonicum...Latius ejus objectum patet, nam versatur circa subjectionem minorum erga parentes et tutores in exercendis juribus suis, non exclusis per se, quae a jure divino quoque proveniunt. Proinde et ipsum jus, quod juxta intentum canonis subjectionem et correlativas exemptiones regit, divinum quoque esse, naturale aut positivum, cum Blat pro certo habemus. Ceterum restrictionem sensus verbi juris in canone 89 textus non exigit neque explicite neque implicite, ex materia, scilicet circa quam disponit..."

excepciones statuerit. Hoc probatur ex hoc, quod incapacitas juris divini et incapacitas juris canoici non confendendae sunt, quinimo in unico principio generali annuntiari non possunt, quia non sunt omnino adaequatae. Dantur enim plures casus, in quibus proles secundum jus divinum naturale capax habetur ad agendum, sed secundum jus canonicum est incapax, v.g. in contractibus. Pro contractibus contrahendis jus canonicum leges civiles loci, in quo contractus fit, recipit (can. 1592.); in legibus civilibus proles minor ad contrahendum contractum generatim incapax habetur, ita ipsa incapax etiam habenda est in jure canonico. Attamen proles minor secundum jus naturale ad faciendum contractum capax est, quia in jure naturali pro contracto faciendo nihil aliud exigit quam usum rationis et voluntatem contrahendi; quae duo requisita in minore dari possunt. Ergo quando jus canonicum dicit quod aliquis juxta propriam praescriptionem valide vel invalide agat, hoc intelligitur de incapacitate vel capacitate juris canonici, non vero juris divini.

Postea assertio nostra etiam probari potest ex hoc, quod in citato canone agitur de subjectione universali prolis potestati parentum in exercendis suis juribus et consequenter de univiersali incapacitate agendi prolis, Haec universalis incapacitas non tollitur nisi in casibus particularibus per exceptionem a jure factam. Exceptio autem dicitur actus legislatoris quo aliquis per se subditus in aliqua lege, ab ea eximitur. Nunc vero haec universalis incapacitas agendi prolis non potest intelligi de jure naturali divino nec de jure divino positivo; ergo intelligi debet de jure canonico. Nam potestas patria secundum jus naturale non sese extendit ad omnes actus prolis; proles enim per seipsam valide exercet jus ad vitam et ad electionem status vitae. Haec exercitia jurium non sunt exceptiones a jure naturali factae, sed sunt de natura sua extra potestatem parentum. Idcirco in jure naturali non datur universalis incapacitas agendi prolis. Idem evenit in jure divino positivo; jus ad baptismum, jus ad receptionem sacramentorum, jus ad vitam religiosam vel clericalem a prole minori independenter a patria potestate exerceri possunt et debent. Exercitia horum jurium etiam non sunt habenda uti exceptiones, quia haec jura de natura sua sunt extra parentum potestatem. Itaque incapacitas universaliter annuntiata

in canone 89 est de jure canonica. Attamen attentio facienda est de hac expresione; non est intelligendum quod jus canenicum contra jus divinum statueret universalem incapacitatem agendi prolis; sed intelligendum est quod jus canonicum incapacitatem universalem agendi prolis statuit in exercitiis illorum jurium quae secundum jus divinum sive naturale sive positivum non sunt extra parentum potestatem et convenienter a prole exercentur sub dependentia patriae potestatis; v.g. jus ad faciendum contractum non est extra patriam potestatem et si absolute loquendo valide a prole minore exercetur sed magis convenienter exercetur sub dependentia ad parentes.

Interpretatio nostra confirmatur etiam ex hoc, quod jus canonicum quando exceptionem de incapacitate agendi minorum statuit, agit semper de incapacitate J.C. et consequenter jus concedit capacitatem juridicam ecclesiasticam minoribus. Casus sunt electio sepulturae (can. 1223), acquisitio quasi-domicilii (can. 93), jus agendi in causis spiritualibus (can. 1648) et facultas testamentum faciendi (can. 1513).

Auctores, qui loquuntur de incapacitate agendi minorum, sermonem semper faciunt de exceptionibus sive explicitis sive implicitis. De fundamento vero harum exceptionum auctores non omnino conveniunt et etiam in terminis adhibendis inter sediscrepant.⁽³⁾

(3) P. Gillet, -De Xemptione a patria potestate; Ephemerides theologicae Lovanienses, Octob. 1934, p.785.

"Fundamentum harum exemptionum (implicitarum), ait Gillet, idem omnes non ponunt. Apud Vemeersch "canonica...exceptio potest ...indirecte colligi ex canonibus, qui, tum inter conditiones in clericis requisitas, certam quidem aetatem, non vero consensum parentum aut tutorum ponunt, candidatos a potestate parentum tacite immunes habent ...Michiels rem ita explicat "Nil fallimur, juxta principia juris generalia, exemptio tacita, tanquam conclusio in principio, effectus in causa, pars in toto, species in genere, conditio sine qua non" quod accidit v.g. in electione status clericalis:....Implicitam habet exemptionem a patria potestate diceremus, quotiescumque jus implicite non tantum non requirit, sed excludit necessitatem interventus hujus potestatis; Quod duplici in casu fieri potest: 1) quoties exercitium juris ex parte minorum non est mere liberum, sed alicui obligationi respondet... 2) Quoties idoneitas ad valide et licite exercendum aliquod jus unice dependet a decisione auctoritatis ecclesiasticae..."

Nobis autem magis placet loqui de exceptione vel exemptione proprie dicta et exceptione improprie dicta. Exceptio proprie dicta est ea exceptio, quae statuitur a jure canonico et habetur explicitè in codice; exceptio improprie dicta est exceptio quae a jure canonico supponitur, non vero constituitur, quia in casu minor non dependet a patria potestate. Etenim potestas parentum in suo determinato ambitu non comprehendit omnes actus proles; sic in actibus qui sunt de natura sua extra potestatem parentum, proles minor capax habetur ad agendum et haec capacitas a jure positivo humano supponi debet.

Dici potest quod exceptio directa vel explicita, quae ab auctoribus proponitur, correspondet exceptioni proprie dictae et exceptio indirecta vel implicita correspondet exceptioni improprie dictae.

I. Exceptiones proprie dictae. Capacitas agendi canonica est capacitas concessa a jure canonico ut quis valide agere possit secundum jus canonicum. Proles minor in genere ad normam juris canonici non habet capacitatem agendi, sed in diversis casibus jus canonicum capacitatem minori concedit.

1. Canon 1260 dicit: "Ecclesiae ministri in cultu exercendo unice a Superioribus ecclesiasticis dependere debent." Exercitium cultus a Christo domino Ecclesiae unice commissum est et propterea solummodo ab auctoritate ecclesiastica dependet. Validitas autem horum exercitiorum non unice ab auctoritate ecclesiastica dependet, quia exercitia ordinis ad conficienda sacramenta valide procedunt si omnia requisita juris divini positivi adfuerint. In iis vero quae ab auctoritate ecclesiastica dependent, validitas actus a jure ecclesiastico conceditur. In canone 1260 principium generale statuitur: proles, quamvis minor, in exercendo cultu divino potestati patriae non subjicitur.

2. In can. 542 et can. 572 conditiones ad validitatem novitatus et professionis religiosae statuuntur, sine mentione de consensu parentum. Proles igitur, servatis conditionibus a jure requisitis, sine consensu parentum, vel imò contra eorum voluntatem, valide admittitur ad novitatum et valide profitetur. Validitas novitatus et professionis unice a jure canonico dependet, quia, licet electio status vitae reli-

giosae non subdit potestati ecclesiasticae sed¹ novitiatus et professio sunt instituta ecclesiastica.

3. Principium generale affirmat incapacitatem minorum acquirendi domicilium sed exceptio a jure data est: "minor infantia exgressus, potest quasi-domicilium proprium obtinere." (can. 93, parag. 2.) Acquisitio quasi-domicilii est actus juridicus.

4. Canon 1223 statuit: "omnibus licet, nisi expresse jure prohibeantur, eligere ecclesiam sui funeris aut coemeterium suae sepulturae. Uxor et filii puberes in hac electione prorsus immunes sunt a maritali vel patria potestate". Proles igitur minor sed puber sibi ecclesiam funeris et coemeterium suae sepulturae sine consensu parentum eligere valet et electio ejus a parentibus in executionem mandari debet. Proles vero minor impuber electionem facit per parentes.

5. Jus civile generatim non concedit facultatem testamentum faciendi prolibus minoribus sine consensu parentum; jus canonicum in casibus ordinarie jus civile in hac materia uti in contractibus recepit, sed in casibus in favorem causae piaae minori proli capacitatem testamentum faciendi indulsit: "Qui ex jure naturae et ecclesiastico libere valet de suis bonis statuere, potest ad causas pias, sive per actum inter vivos, sive per actum mortis causa, bona relinquere." (can. 1513, parag.1.) Requisita juris naturalis ad faciendum testamentum sunt duo: jus in rem de qua testamentum faciendum est et voluntas libera. Itaque proles minor sine consensu parentum testamentum de bonis relinquendis ad causas pias valide concere potest.

6. "Pro minoribus et iis qui rationis usu destituti sunt, agere et respondere tenentur eorum parentes vel tutores vel curatores." (can. 1648) Incapacitas agendi minorum in judicio clare statuitur; tamen in paragrapho tertio hujus canonis exceptio constituitur: "Sed in causis spiritualibus et cum spiritualibus connexis, si minores usum rationis assecuti sint, agere et respondere queunt sine patris vel tutoris consensu; et quidem si aetatem quattuordecim annorum expleverint, etiam per seipsos; secus per tutorem ab Ordinario datum, vel etiam per procuratorem a se, Ordinarii auctoritate, constitutum."

Causa spiritualis est ea quae contendit de re vel jure spirituali. Res vel jus spiritualis dicitur, quando res vel jus ordinatur ad finem spiritualement. Causa connexa cum spiritualibus habetur, cum in causa contendit de re vel jure cum spiritualibus connexa. Res cum spiritualibus connexa tripliciter laberi potest: primo modo res antecedenter connectitur cum spirituali, scilicet res ante spirituale existebat et postea res spiritualis ad eam accedit, v.g. calix, quae praeexistit uti res profana et post consecrationem res spiritualis fit; secundo modo res consequenter connectitur cum spiritualibus, scilicet res materialis existit ob rem spiritualement sicut in beneficio adsunt officium sacrum et jus ad redditum percipiendum, jus hoc habetur ob officium sacrum; tertio modo res profana vel materialis concomitanter connectitur cum spiritualibus et ab eis separari potest, sicut labor in sacris functionibus extraordinarie gravis.

II. Exceptiones improprie dictae. Sunt exercitia jurium quae vel de jure naturali vel de jure divino positivo habentur extra paternam auctoritatem.

1. Capacitas agendi minoris de jure naturali et supposita in jure canonico. De jure naturali proles in electione status vitae et in necessariis ad vitam non sunt subjectae potestati patriae. Ideoque ipsae in his actionibus semper capaces sunt, expletis requisitis juris naturalis. Jus canonicum hanc capacitatem supponit in can. 542, 968 et 1035. Attamen status religiosus et clericalis ac matrimonium per voluntatem Christi ab auctoritate ecclesiastica dependere debent; propterea Ecclesia capacitatem naturalem uniuscujusque negare quidem non potest sed condiciones huic capacitati ponere valet, quae conditones aliquando capacitatem impedire possunt.

2. Capacitas agendi minoris de jure divino positivo et supposita a jure canonico. De jure divino positivo proles relate ad sacramenta et sacramentaria et ad exercitia cultus sacri non dependent a potestate patriae: ex alia parte validitas sacramentorum et actus ordinis sacri non est sub potestate ecclesiastica. Isti igitur actus sive circa sacramenta sive circa exercitia ordinis sacri substantialiter reguntur a jure divino

positivo; eorum conditiones accessoriae sunt' in potestate ecclesiastica. Receptio baptismi non exigit consensum parentum ad validitatem et pro minoribus usu rationi gaudentibus sufficit ut sine propria voluntas baptismum petat. "Adulti autem censentur, qui rationis usu fruntur idemque satis est ut suo quisque animi motu baptismum petat et ad illum admittatur." (can. 745, parag.2.) Inter conditiones requisitas ad valide recipiendum ordinem sacrum non enumeratur consensus parentum. "Sacram ordinationem valide recipit solus vir baptizatus; licite autem, qui ad normam sacrorum canonum debitis qualitatibus, iudicio proprii Ordinarii, praeditus sit, neque ulla detineatur irregularitate aliove impedimento." (can. 968, parag.1.)

Caput III

De Exercitio Potestatis Patriae In Jure Canonico

Articulus I. Potestas patria relate ad baptismum prolis

Praenotanda:

Jus canonicum omnes leges Ecclesiae non comprehendit, supponit namque leges divinae sive naturales sive positivas et clare admittit existentiam aliarum ecclesiasticarum legum. (can.1, 2, 3). In jure naturali et divino positivo existentia potestatis patriae sine ambiguitate invenitur; in jure canonico systema proprium de potestate patria non datur, sed in casibus particularibus, postulata necessitate, praescriptiones opportuna stabiluntur.

Potestas patria non eandem positionem tenet in jure canonico ac in jure civili; nam potestas parentibus a natura collata, ordinem naturalem non egreditur et circa objecta naturalia directe exercetur. Jus civile secundum naturam societatis civilis legiferat in rebus civilibus, inter quas potestas patria nuncupatur. Cumque societas civilis natura sua posterior est societati familiari, auctoritas familiaris ab auctoritate civili totaliter absorberi non potest et in jure civili determinationes circa exercitia tantum recipit. Societas Ecclesiae essentialiter est in ordine supernaturali et est exclusive competens circa objecta supernaturalia. Itaque parentes sibi potestatem arrogare nequeunt ad disponenda jura prolis supernaturalia, cum ipsi et liberi sui in facie Ecclesiae circa jura supernaturalia pares sunt. Attamen ordo supernaturalis non est ad destructionem ordinis naturalis sed ad ejus perfectionem; idcirco Ecclesia potestatem, patriam non abnegavit, multoque minus damnavit, eam vero intra limites debitas quoad jura spiritualia etiam admisit.

Jus canonicum in rebus civilibus (de effectibus civilibus) quatenus eae influxum in jure canonico habere possunt, normas a jure civili praescriptas de potestate patria recognoscit, sicut in can. 1529 statuatur: "Quae jus civile interterritorio statuit de contractibus tam in genere quam in specie, sive nominatis sive inominatis, et de solutionibus, eadem jure canonico in materia ecclesiastica iisdem cum effectibus servantur, nisi juri divino contraria sint, aut aliud jure canonico caveatur." Vi hujus canonis potestas patria circa contractus prolis eosdem effectus in jure canonico ac in jure civili habet.

De rebus spiritualibus jus canonicum non recognoscit potestatem patriam, nisi quando jus divinum hanc recognitionem exigit, vel quando Ecclesia parentes in suum auxilium advocare voluit.

Praeter res spirituales et civiles vel materiales adsunt res mixtae quae directe tendunt ad duos fines sive de natura sua sive per dispositionem ecclesiasticam. In his rebus jus canonicum adhaerens juri naturali, proprias praescriptiones juridicas circa potestatem, patriam constituit uti de instructione religiosa et de matrimonio.

In sequentibus articulis hujus capituli tractabimus de exercitio potestatis patriae quoad res spirituales vel mixtas.

Primus igitur sit tractatus de potestate patria relate ad baptismum prolis minoris.

Baptismus, sacramentum Novae Legis, homini viatori ingressum theologicum juridicumque ad Ecclesiam a Christo fundatam confert et habet suos effectus theologicos et juridicos. Per baptismum enim homo de regno tenebrarum ad vitam novam transfertur et in membrum vivum Christi regeneratur; per baptismum homo etiam juridice dat nomen suum societati Ecclesiae et particeps fit juribus et officiis christianorum. Fundator divinae Ecclesiae sacramenta auctoritati et custodiae ecclesiasticae commisit; res igitur sacrae ab auctoritate humana civili non dependent. Potestas patria relate ad baptismum proli suarum per se partem non habet.

Jus canonicum relate ad baptismum prolis potestatem patriam attendit et aliquam speciem exercitii potestatis parentibus concessit.

I. Consensus parentum relate ad baptismum prolis minoris

Baptismus, janua salutis, omnibus hominibus viatoribus necessarius est necessitate medii; propterea omnes homines viatores jus ad hoc sacramentum recipiendum habent. Proles in infantili aetate incapax agendi, exercitium suorum jurium naturaliter per parentes explicatur; proles minor post adeptum usum rationis jus ad baptismum per seipsam licite et valide exercet. Quaestio de consensu parentum relate ad baptismum prolis minoris fieri tantum potest circa baptismum prolis infantis; minor usu rationis gaudens relate ad baptismum adulto aequiparatur.

Distinctio in hac quaestione facienda est inter parentes fideles et parentes infideles. Pro baptismo infantis parentum fidelium consensus eorum non facit difficultatem, quia is nec requiritur ad validitatem nec ad liceitatem administrationis baptismi. Nam parentes fideles lege ecclesiastica obligantur ad offerendum infantem ad fontem baptismatis et si aliquando parentes hanc suam obligationem non adimplent, Ecclesia jus habet eorum infantem baptizandi. "Infantes quamprimum baptizantur; et parochi et concinatores frequenter de hac gravi eorum obligatione commoneant." (can. 770)

Tota quaestio est de baptismo infantis infidelium.

1. Jus offerendi prolem ad baptismum

Parentes infideles relate ad suum infantem jus habent eum offerendi ad baptismum. In regione missionum non desunt illi liberales qui asserunt jus offerendi infantem ad baptismum esse abusum potestatis patriae, quia religio importat obligationem pro tota vita, ideoque a parentibus imponi proli infanti nequit. Sed e contra certum est quod parentes infideles jus hoc habent. Benedictus XIV PP. in epistola "Probe" (15 Dec. 1751) disserte locutus est de hoc jure... "Quarto loco Auctores praedicti jus offerendi tutoribus attribuunt, sub quorum cura infantes et impuberes vivunt, cum, pro eo, quod pertinet ad educa-

tionem, patria potestas in ipsos transfusa sit..."⁽¹⁾

Jus offerendi prolem ad baptismum connectitur cum potestate patria, quam quis acquirit vel ex jure naturali vel ex jure civili. De jure civili tutores hoc jus habent, quia ipsi locum parentum tenent; ex jure naturali parentes prolem suam ad fontem baptismalem deferre valent. In termino "parentes" includuntur pater et mater, avus et avia. "Secunda (regula) est, si pater nomen christianae militiae daret, juberetque infantem filium baptizari, eum quidem vel matre hebraea dissentiente baptizandum esse, quum filius non sub matris, sed sub patris potestate sit habendus... Tertia est, quamvis mater filios juris sui non habeat, tamen ad Christi fidem, si accidat, et infantem afferrat ad baptizandum, tametsi pater hebraeus reclamet, eum nihilominus aqua baptismatis abluendum esse...Quarta est, quod si pro certo habeatur, parentum voluntatem esse infantium baptismati necessariam, quoniam sub appellatione parentum locum quoque habet avus paternus...Hinc necessario sequitur, ut, si avus paternus catholicam fidem amplexus sit, ac nepotem ferrat ad sacri lavacri fontem, quamvis mortuo jam patre, matre hebraea repugnet, tamen infans sit absque dubio baptizandus..."⁽²⁾

"Verum, si casus hic, qui in quaestione versatur, una cum adjunctis circumstantiis consideretur, haud facile quidem demonstrari poterit, ex eo quod aviae oblatio admittatur, vel communem laedi Theologorum sententiam, quam surpa exposuimus, vel violentiis aut dolis aditum aperiri ad hebraeorum infantes, invitis parentibus, baptismati offerendos; tum quia communis Theologorum sententia nihil aliud docet, nisi quod minime licet infantes infidelium, invitis parentibus, baptizare; cumque id nequaquam ulterius procedant ad explicandum, quinam illi sint, qui sub appellatione parentum veniant,

(1) Benedictus XIV, Epistola "Probe" parag.13. (cfr. Card. P. Gasparri, *Fontes J.C. Romae* 1928; vol.II, p.346.)

(2) Benedictus XIV, Epistola "Postremo mense" (28 Feb. 1747.) parag. 15-17. (cfr. Card. P. Gasparri, *Fontes J.C., Romae* 1928; p.68-70) vol.II.

locum excipit legalis dispositio, quae docet sub appellatione parentum aviam comprehendere... Tum quia hoc in casu non improvisa aliqua vis, aut impetus intercedit, nec talis oblatio fit a persona penitus extranea, cum persona avia sit, quae ad Christi fidem conversa nepotem ad baptismum sponte offerat..."⁽³⁾

In iure hodierno hoc est clarum, quia in canone 750 ubi agitur de baptismo infantis infidelium, codex explicationem termini parentum dat" parentes, idest pater, mater, avus vel avia."

Hoc jus etiam consonans est rationi; etenim, etsi baptismus obligationem pro tota vita imponat baptizato, sed ipse non est comparandus cum electione caeterorum statuum vitae. Electio status vitae per se est libera, quam unusquisque ex libera voluntate facit, cum homo ad unum determinatum statum vitae non est obligatus. Homo vero relate ad baptismum est liber physice loquendo, sed obligationem eum suscipiendi habet; idcirco infans nuper natus hanc obligationem recipiendi baptismum in seipso jam habet et parentes eum ad baptismum defferunt, nihil violentiae ei faciunt, quia adimplent obligationem ad quam infans tenetur. Postea baptismus est summum bonum inter bona hujus vitae; ipsa enim est porta salutis. Nunc vero parentes prolem infantem ad hoc bonum acquirendum faciunt, non potest esse abusio potestatis patriae sed est jus et officium eorum procurandi prolibus bonum possibile.

2. Consensus parentum est necessarius ad licitam administrationem baptismi prolis infantis

Baptismus, sacramentorum janua ac fundamentum, omnibus hominibus necessarius est, ad quem itaque recipiendum omnes jus ac officium habent. Cumque omnes ad baptismum obligarentur, Ecclesia jus ad omnes baptizandos sibi vindicare potest independenter ab omni

(3) Benedictus XIV, Epistola "Probe", parag. 22. (cfr. Card. P. Gasparri, *Fontes J.C.*, Romae 1928; vol.II, p.350.)

humana auctoritate. Attamen quoniam baptismus praeter gratiam regenerationis novum statum baptizatis imponit, qui status longas praeparationes instructionesque exigit, reverentia sacramento debita prohibet quominus baptismus omnibus indiscriminatim administrantur, nisi illis pro quorum praeparatione ac instructione ad vitam religioni concruam certitudo comprobetur. Si quando baptismus, invitis parentibus, infanti infidelium administratus fuerit, parentes animum baptismo hostilem conservantes, de extirpatione effectus baptismi magis intendunt quam de praeparatione instructioneque infantis ad vitam religiose vivendam. Itaque baptismus in his conditionibus administratus in periculo profanationis invenitur; quae profanatio licet non directe committatur contra sacramentum baptismi, semper tamen est contra sanctitatem sacramenti. Idcirco profanatio in quantum possibile est, evitari debet; et propterea baptismus infanti infidelium, invitis parentibus, non administratur.

S. Thomas aliam rationem addidit: "Alia vero ratio est, quia repugnat justitiae naturali; filius enim naturaliter est aliquid patris...ita de jure naturali est, quod filius antequam habeat usum rationis, sit sub cura patris; unde contra justitiam naturalem esset, si puer, antequam usum rationis habeat, a cura parentum subtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur invitis parentibus...Unde de pueris antiquorum parentum dicitur, quod salvati sunt in fide parentum; per quod datur intelligi, quod ad parentes pertinet providere filiis de sua salute, praecipue antequam habeant usum rationis."⁽⁴⁾

Conveniens etiam est conservare pacem in familia in quantum conservatio est possibilis. Nunc vero in una parte administratio baptismi infanti extra periculum mortis non est absolute necessaria, quia infans post usum rationis adeptum baptismum libere poposcere poterit, et in altera parte propter baptismum infantis discordia odiumve inter personas familiae exoriri potest; conveniens igitur

(4) S. Thomas, II-II, q. X, a. XII.

apparet differre baptismum. Periculum perturbationis deinde etiam potest esse, si quicumque valide et licite queat prolem alterius ad baptismum offerre et reapse baptizare. Nam ex hoc modo agendi plures abusus nascentur; quis enim propter odium inimicitiamve contra aliquem, sub praetextu religionis filii sui inimici ad fontem baptismalem defferre potest et sic separationem in ejus familia ponere. Ecclesia, quae salutem quidem omnium hominum quaerit, sed bonum societatis etiam providere desiderat, hujus perturbationis causa esse non vult. Consensus igitur parentum infidelium pro baptismo infantis requiritur ad liceitatem administrationis. Veritas haec legibus ecclesiasticis jam pluries sancita est.

Ante codicem plures exstabant documenta pontificia, in quibus clare docetur baptismum infantibus infidelium extra periculum mortis illicite administrari et sub poenis aliquando esse prohibitum. "Doctorum opiniones ad Ecclesiae decreta sunt exigendae, non ipsa decreta ad opinantium liberum inflectenda. Proinde quidquid Turnelius aut privati alii senserint firmior hic adest auctoritas posita in Summorum Pontificum Constitutionibus et sacrarum Congregationum decretis quae omnem nunc fidem penitus abrogant ei Opinioni quae isto quaesito suscitari quodammodo videtur quae generatim statuit licere infantes filios infidelium invitis aut insciis parentibus baptizare."⁽⁵⁾

Canon 750 parag.2. "Extra periculum mortis, dummodo catholicae ejus educationi cautum sit, licite baptizatur (infans infidelum): n.1, "Si parentes vel tutores, aut saltem unus eorum consentiat; n.2, "Si parentes, idest pater, mater, avus, avia, vel tutores desint, aut jus in eum amiserint, vel illud exercere nullo pacto queant."

Exceptio igitur datur de requisito consensu parentum ad liceitatem baptismi infantis in periculo mortis. Nam in periculo mortis tunc praevalet bonum proles potestati patriae et rationes, quae favent

(5) Instructio S.C. Propaganda Fide 17 April. 1777; n.VI. (cfr. Collectanea C.C. de Propaganda Fide, vol.I, n.522.

requisitioni consensus non amplius remanebunt; infans enim, morte secuta, sub potestate parentum non stabit." Infans infidelium, etiam invitis parentibus, licite baptizatur, cum in eo versatur discrimine, ut prudenter praevideatur moriturus, antequam usum rationis attingat." (can. 750 parag.1.)

Periculum de quo in canone agitur habetur si infans invenitur in conditione quae cum prudenti probabilitate causat mortem; periculum igitur moraliter ponderandum est neque debet esse imminens, quia codex dicit: prudenter praevideatur moriturus". Attamen periculum debet esse particulare circa ipsum infantem, non vero periculum commune uti pestis. (instructio S.C. de Propaganda Fide 17 April. 1777, n.VII-VIII.)⁽⁶⁾

Obligatio petendi consensum parentis pro baptismo infantis non habetur, si "parentes, idest pater, mater, avus, avia, vel tutores desint, aut jus in eum amiserint, vel illud exercere nullo pacto queant." (can. 750, parag.2, n.2.) Casus secundum codicem sunt tres quorum primus est, quando parentes mortui sunt. Defectus tutelae parentum physice considerandus est, scilicet de facto physico, non facto juridico uti in casu parentes ignorantur. Secundus casus secundum codicem est, quando parentes jus in ipsum infantem amiserint, hic casus est juridicus. Amissio potestatis potest evenire vel per renuntiationem, vel per privationem, vel per mortem. Casus mortis contemplatur in casu primo, hic ergo agitur de amissione potestatis patriae per renuntiationem vel per privationem. Parentes suam potestatem in infantem proprium possunt renuntiare quando ipsi infantem curae alterius totaliter commisit ut ipsa persona commadataria infantem habeat in suum filium uti in adoptione. Privatio potestatis patriae parentibus infligitur a publica auctoritate propter delictum ab ipsis commissum; quae privatio diversis modis haberi possunt vel privatur eis directe potestate in filium vel privatur eis capacitate juridica agendi, propterea rediguntur ad personam in agendo incapacem. In canone attenditur priva-

(6) uti in nota prima.

tio a potestate civili inflictā, quia inter poenas canonicas ista privatio juris non habetur. Tertius casus secundum codicem est, quando parentes jus in infantem nullo pacto exercere queunt. Hic casus habetur, si parentes vere non possunt suum jus exercere, non tantummodo propter aliquas illegitimas circumstantias transitorias per aliquot temporis nequeunt jus exercere in infantem; casus habetur, si pater, miles, in longinqua regione militat, neque communicatur cum familia, tunc, mortua matre, infans solus remanet sine tutela parentis; habetur etiam casus, si infans illegitimus nec a matre nec a patre recognoscitur.

3. Consensus autem parentum infidelium pro baptismo prolis infantis non requiritur ad validitatem

Validitas alicujus sacramenti non dependet ab jure humano sed a jure divino positivo; declaratio vero juris divini positivi exclusive pertinet ad Ecclesiam, quae in his declarationibus infallibilis est. Si consensus parentum infidelium requiratur ad validitatem baptismi prolis infantis, haec doctrina debet inveniri in documentis pontificiis, quae de validitate sacramentorum explicite agunt. Nunc vero contrarium invenitur, quia in documentis pontificiis adsunt expressae affirmationes negandi consensum parentum requiri ad validitatem baptismi prolis. "Ad tertium nunc accedimus, baptismum scilicet hebraeis infantibus impertitum, cum fas non sit, (invitis parentibus) ratumne, an vero irritum haberi debeat. Nulla de hac re inter S. Thomam et Scotum dissensio est, cum non in eam sententiam disputaverint, utrum baptismus hebraeis infantibus sine parentum consensu conferri valide possit, verum an licite...Durandus in 4. sententia disp. 4. quaest. 7. art. 13. contendens irritum baptismum esse sine consensu saltem illius, qui baptizatur, ideo si hoc sacramentum hebraeorum aut infidelium filiis, invitis parentibus, impertitum fuerit, illud esse irritum omnino existimat; ea ratione ductus, quod infantulis non alia, quam parentum voluntas sit, quae si desideretur, omnis deest voluntas, cujus necessitas est sane maxima, baptismum ut validum habeatur. Verum haec Durandi opinio singularis nunquam aut plausum aut existimationem nacta est; quod revera constet baptismum esse ratum, ac validum, quoties-

cumque baptizantis voluntas cum forma et materia necessaria accedat... Argumenta per se clarissimis, tantorum auctoritate nominum corroboratis alia addere supervacaneum ducimus; quaedam vero Congregationum responsa in medium profferre nullo modo non possumus, inter quae primo loco afferramus illud Congregationis S. Officii, habitae die 30 Martii 1630... Conveniunt aliae quoque ejusdem Congregationis resolutiones, quarum altera emanavit die 23 Dec. 1698, et a Leone in suo Thesauro Fori Ecclesiastici, part. 4.num. 8.cap.4., alia huic similis produccitur in Congregatione Concilii habita in casu Fossani quae tamen cum registro conferri non potuit."⁽⁷⁾

Licet quaestio de validitate baptismi ad theologiam sacramentalem pertinet, tamen in codice juris canonici aliqua enuntiatio doctrinalis non deest, nam in canone 737 requisita ad validitatem baptismi enumerantur: "Baptismus,...valide non confertur, nisi per ablutionem aquae verae et naturalis cum praescripta verborum forma". In hoc paragrapho materia et forma enumerantur uti requisita essentialia ad validitatem baptismi; non vero consensus parentum.

Ratio theologica consistit in hoc quia intentio recipientis sacramentorum requiritur ad validitatem tantum in casu quando recipiens usum rationis jam habet, in infantibus autem non requiritur. Infans igitur capax est recipiendi illa sacramenta pro quorum susceptione actus positivus a parte recipientis non est necessarius per se, est necessarius quando recipiens voluntatem suam manifestare jam valet, quia tunc ipse humanum actum in recipiendo sacramento ponere debet. "Quaeritur autem in praesenti, inquit Billot, utrum ex parte suscipientium aliqua alia conditio ad validitatem requiratur, quae etiam sit universaliter necessaria pro omni sacramento, ipso inprimis incluso baptismo. Et distinctione facta inter adultos et infantes vel perpetuo amentes, respondetur requiri pro adultis consensus, id est, voluntatem

(7) Benedictus XIV, Epistola "Postremo mense" parag. 25-26 (cfr. Card. P. Gasparri, *Fontes J.C. Romae* 1928, vol.II, p.72.)

recipiendi sacramentum...At vero intentio in suscipiente necessaria habet solummodo ut removens impedimentum voluntatis contrariae respectu sacramenti recipiendi, et ideo satis est ut sit habitualis, qualis potest esse etiam in amente vel sensibus destituto."⁽⁸⁾ "In pueris non potest esse contraria voluntas, neque habitu, neque actu, et ideo non requiritur voluntas vel intentio in eis, qua prohibens removeatur. In amentibus autem et dormientibus potest esse voluntas contraria habitualisquamvis non sit actualis; et ideo sive ante somnum vel furiam, fuerunt contrariae voluntatis, non recipiunt sacramentum, quia adhuc illa voluntas habitualiter manet..."⁽⁹⁾

Schollon

Norma de baptismo infantis infidelum generatim servatur etiam pro baptismo infantis a) duorum haereticorum qui nunquam Ecclesiae catholicae adhaeserunt; b) duorum schismaticorum, qui in schismate baptizati sunt; c) duorum catholicorum lapsorum in haeresim vel schismam vel apostasiam apertam.⁽¹⁰⁾ In his casibus jus Ecclesiae baptizandi infantem absolute loquendo potest exercere etiam invitis parentibus, quia qui valide baptizatus est, sub potestate Ecclesiae habetur, sed propter periculum perversionis infantis contra sanctitatem baptismi, Ecclesia caute pocedit.

Pro baptismo infantis illorum qui "ambo sunt admodum temidi, seu in omni religionis cultu segnes atque socordes, vel quorum alter in prava agendi ratione protervus est, vel etiam quorum pater a fide christiana defecit seu apostatavit, noverint missionarii eos, postulantes praesertim ipsimet parentibus, posse et debere baptizari, non obstante dubio, seu causa etiam justa metuendi ne, cum adoleverint, educatione christiana frustrentur, imo in gentilium cultu instituantur."⁽¹¹⁾

(8) Lodovicus Billot S.J., *De Ecclesiae Sacramentis*, Romae 1931, vol.I, p.204.

(9) S.Thomas in IV, D.6 a.2, n.3. sol 3 ad 2um cfr.

(10) *Collectanea S.C. de, Propaganda Fide*, vol.I, n.522.

(11) *Primum Concilium Sinense* (anno 1924 habitum) n.249. (Shanghai 1930 ed.)

"Valde caute et prudenter se gerant missionarii in baptizandis fidelium filiabus quae gentilibus in matrimonium fuerunt promissae. Si inhujusmodi puellae in infantili aetate adhuc constituentur, spesque non minima affulgeat eas educatione christiana fore imbuendas, tunc sine magna difficultate ad baptismum admittantur. Ipsa S.C.S.Offic., 25 Jun. 1866, non excludit a baptismo puellas in infantili aetate, ubi nihil aliud obstat praeter futurarum nuptiarum periculum cum viro ethnico."⁽¹²⁾

II. Proles in baptismo sequitur ritum parentum

Unitas et magnificentia Ecclesiae catholicae in varietate rituum splendescunt; omnes catholici suis cum verbis, suisque cum formis liturgicis Deum unum et verum colunt. Ritus, si summitur in sensu juridico, non solummodo caerimonias significat sed denotat complexum legum riturgicarum et discipilnarium, quae unam communitatem catholicorum ab alteram differentem facit. Ecclesia catholica antiquam traditionem reverenter conservans, varios ritus a primordiis temporibus existentes semper admittit non tantum in rebus liturgicis sed etiam in legibus disciplinalibus.

Necessarium igitur est normam constituere de qua determinatur ad qualem ritum unusquisque pertinere debeat; electio etenim libera in facultate uniuscujusque relinquere non potest, secus magna inconvenientia circa competentiam Ordinariorum oriretur. Canon 98 principium generale statuit: "Inter varios catholicos ritus ad illum quis pertinet, cujus caermoniis baptizatus fuit, nisi forte baptismus a ritus alieni ministro vel fraude collatus fuit, vel ob gravem necessitatem, cum sacerdos proprii ritus presto esse non potuit, vel ex dispensatione apostolica, cum facultas data fuit ut quis certo quodam ritu baptizaretur, quin tamen eidem adscriptus maneret... Nemini licet sine venia Apostolicae Sedis ad alium ritum transire, aut post legitimum transitum, ad pristinum reverti." Propterea regula ordinaria quae determinat ritum

(12) Primum Concilium Sinense (ut in nota prima) n.251.

uniuscujusque est baptismus, qui, uti vivimus, est nativitas in Ecclesia et fundamentum personae. In jure civili proles statum juridicum parentum sequitur, ita jus canonicum ad ejus similitudinem statuit prolem pertinere ad ritum parentum, nam proles in baptismo ritum parentum senqui debet. Proles ritu parentum baptizari debet. Si alter parentum pertineat ad ritum latinum, alter ad orientalem, proles ritu patris baptizetur, nisi aliud jure speciali cautum sit. Si unus tantum sit catholicus, proles hujus ritu baptizanda est." (can. 756)

De ritu in baptismo prolis sermo a nibis fieri debet, quia est materia juridica;⁽¹³⁾ et sic nos in diversos casus materiam hanc tractabimus.

1. Uterque parens est vel catholicus latinus vel orientalis

In hoc casu proles in ritu parentum baptizatur, nisi circumstantiae speciales in codice enumeratae adfuerint; scilicet vel sacerdos sui ritus presto esse non potest, vel dispensatio apostolica intervenerit. Parentes pro baptismo suo, quatenus suscipitur in aetate adulta, ritus optionem habent, sed pro baptismo prolis suae sequi debent praescriptionem canonis et baptizare prolem in suo ritu. Quaestio proposita fuit S.C. Offic. "Utrum qui ad preces parentum, contra praescriptum canonis 756, a ritu alieni minisro baptizati sunt, pertineant ad ritum, in quo baptizati sunt, vel ad ritum, in quo juxta praescriptum canonis 756 baptizari debuisset. "responsum est: "Prout casus exponitur, negative ad primam partem, affirmative ad 2am partem."⁽¹⁴⁾ Tamen si circumstantia specialis adest, parentes veniam ab auctoritate ecclesiastica legitime postulare possunt ut proles in alieno ritu ac suo baptizetur. "Aliud reponsum esset, ait clarissimus Ogetti, si fuisset actum de familia latina domicilium fovente apud orientales, vel de familia domiciliata apud latinos, quae majorem invenisset facilitatem

(13) Gommarus Michielis, *Principia de Personis in Ecclesia*, 1932, p.266.

B. Ogetti, *Commenstrarium in Codicem J.c.*, Romae 1928, tom. p.96.

F.M. Cappello, *S.J. Summa J.C. Romae* 1932, vol.I, p.235.

(14) S.C.Offic. 16 Cot. 1919 (cfr. A.A.S., XI, 1919; p.478, n.II.)

servandi leges ecclesiae alieni ritus, idque fecisset legitime, seu obtenta venia ab auctoritate ecclesiastica. Et ideo prudentissime responsum est: "proud casus proponitur."⁽¹⁵⁾

2. Si alter parentum pertineat ad latinum, alter ad orientalem catholicum, tunc proles ritu patris baptizetur, nisi aliud lege speciali cautum sit. Lex specialis adest pro Italo-Graecis, quae statuit prolem in ritum latinum matris baptizari posse. "Si vero pater sit graecus, et mater latina, liberum erit eidem patri, ut proles, vel ritu graeco baptizetur vel etiam ritu latino, si uxor latina praevaluerit, idest si in gratiam uxoris latinae, consenserit graecus pater ut latino ritu baptizetur."⁽¹⁶⁾

3. Filius illegitimus de quo codex hihil dicit in conditione normali regulam a jure stabilitam pro filio legitimo sequi debet in baptismo. Itaque si filius a patre recognoscitur vel saltem a matre, ipse secundum ritum patris vel matris juxta casum baptizetur. Si vero filius illegitimus a patre vel matre non recognoscitur, tamen ille pater vel mater publice cognoscitur ejusque nomen in libro baptizatorum inscribi permittitur, filius illegitimus in ritu patris vel matris prout casus deferretur, baptizetur. Sed casus ordinarius pro filio illegitimo consistit in hoc quod pater non cognoscitur, mater vero cognoscitur, tunc filius in ritu matris baptizetur⁽¹⁷⁾.

Si vero nec paternitas nec maternitas filii illegitimi innotescit, filius habetur uti infans expositus.

4. Infans expositus baptizetur in ritu loci in quo inventus est. Contigit enim generatim quod infans expositus baptizatur in loco in quo inventus est; tunc ritus baptismi est ritus in loco vigens. Si vero in loco vigent diversi ritus, regula generalis a codice non datur. Videtur in

(15) B. Ojetti, *Commentarium in Codicem J.C. Romae*, 1928; tom.I, p.97.

(16) Benedictus XIV, Epistola "Etsi pastoralis" (26 Marji 1742) parag.II, n.X. cfr. Card. P. Gasparri, *Fontes J.C. (Romae 1928) vol.I*, p.738.

(17) S.C. de Propaganda Fide 27 Martii 1916. (A.A.S. an. VIII, vol. VIII, p.107.)

casu ita esse faciendum: si infans expositus defertur in aliquo orphanotrophio catholico et in eo adolescet, ille baptizetur in ritu eorum qui orphanotrophium fundaverunt ejusque curam nunc gerunt; si vero orphanotrophium est publicum et laicum, idest sine professione alicujus religionis, infans expositus baptizetur in ritu ministri cui infans abluendus traditur; si autem infans expositus inventus fuit a persona privata ab eaque aleretur, in ritu istius personae, si sit catholica, baptizetur; si ipsa persona non sit catholica, infans baptizetur in ritu ministri baptizantis.

5. In quo ritu infans infidelium baptizatur?

Infans infidelium generatim baptizatur in ritu loci, in quo parentes domicilium vel in defectu domicilii quasi-domicilium habent. Si vero in loco isto plures ritus vigent, tunc videtur parentibus dari optatio ritus; parentes igitur electionem ritus pro baptismo prolis facere possunt. Si vero parentes electionem ritus non fecerint, proles infans baptizetur in ritu ministri cui infans abluendus offertur; vel infans remittitur ad ministrum illius ritus ad quem connationales patris fere omnes pertinent, quia divisio ritus ordinarie secundum nationem populi fit.

Schollon

Parentes jus habent eligendi patrinum prolibus baptizandis.

Ecclesia de educatione catholica baptizatorum sollicita institutum consuetudine antiquitus introductum dandi neobaptizatis patrilos in jure suo confirmavit. Patrilus habetur pro neobaptizato ut secundus pater, qui, deficientibus parentibus naturalibus, baptizatum in suam curam decipere debet. Pro electione patrini sive in sacramento baptismi sive in sacramento confirmationis, jus canonicum statuit tres modos quorum primus alterum excludit: electio vel facienda ab ipso

baptizando, vel a parentibus tutoribusve ejus, his defientibus, a ministro baptizante. (can. 7-, n.4., can. 795, n.4.)

Cum proles infans baptizetur, patrinus a parentibus designandus est, baptizandus enim usu rationis carens designationem facere nullatenus valet. Quando vero proles minor ad fontem baptismalem accedit, electio patrini a jure statuitur disjunctive sive facienda ab ipso baptizando sive ab ejus parentibus. Tamen in casu quorum electio praevalere debeat, jus non clare dicit; sed juxta modum exprimendi juris electio a baptizando facta praevalere debet, nam in jure haec electio in primo loco ponitur. Et hic casus est etiam casus in quo jus constituit exceptionem a potestate patria; nam jus facultatem eligendi patrinum concedit. Si vero electio a parentibus facta praevalere semper deberet, concessio juris quasi in irritum rescideretur. Ergo proles baptizanda est prima ad electionem patrini.

Articulus II. Potestas patria relate ad sedem juridicam prolis

Sedes juridica est locus ex quo persona quaedam immediate superiores sortitur et caeteros effectus in jure statutos recipit. Homo per baptismum spiritualiter et juridice nascitur subditus Ecclesiae. Subditus autem appellatur quando subjicitur superioribus et legibus; sedes juridica subjectionem ad superiorem immediatam et leges determinat. Propterea post considerationem de baptismo inquirimus de potestate patria relate ad sedem juridicam prolis.⁽¹⁸⁾

Locus relate ad personam in jure canonico dupliciter consideratur: locus originis et locus domicilii. Locus domicilii est proprie sedes juridica personae sed locus originis momentum in sacris ordinationibus etiam habet.⁽¹⁹⁾

(18) Gommarus Michiels, *Principia de personis in Ecclesia*, 1932; p.60 sq.

(19) Phillipus Maroto, *Institutiones J.C. Romae*, ed. III, p.471 sq.

I. Locus originis

Locus originis dicitur locus in quo aliquis in lucem edditus est. Attamen locus non est materialiter sumendus, sed juridice, quia in jure consideratur tantum locus originis in quo aliquis debet nasci et non locus in quo aliquis de facto natus est. Ad determanandum locum originis jus canonicum ita statuit:

1. Si filius est legitimus et non posthumus et etiam neophytus habet suum locum originis in loco in quo, cum ipse natus est, domicilium, aut in defectu domicilii, quasi-domicilium habebat pater.⁽²⁰⁾ In casu ordinario uxor sequitur locum domicilii mariti; ideoque jus statuit locum domicilii patris est locus originis prolis. Tamen si uxor legitime et perpetue separata est a marito et post separationem proles nascitur; tunc locus originis prolis neonatae sitne locus domicilii patris an matris. Videtur locus originis prolis esse locus domicilii matris. Ratio est, quia jus considerat casum ordinarium, hic vero casus est extraordinarius in quo uxor legitime et perpetue a marito separata jam non est subdita marito et ipsa sibi locum domicilii acquirit. Proles vero sequitur ventrem, igitur ipsa habere debet suum locum originis in loco domicilii matris.

2. Si filius est illegitimus et posthumus pro suo loco originis habet locum, in quo, cum natus, domicilium, aut in defectu domicilii, quasi-domicilium habebat mater. Potest esse quaestio de filio illegitimo, qui natus fuit ex sponsis ante matrimonium et regnoscitur statim a patre atque etiam post matrimonium legitimabitur. Locus originis istius filii illegitimi estne locus domicilii matris, sicut statuitur in jure, an vero locus domicilii patris? Videtur locus originis istius infantis esse locus domicilii patris; nam iste infans, quamvis natus fuisset ex thoro illegitimo, sed effectus illegitimitatis sive in jure civili sive

(20) Wernz-Vidal Jus Canonicum, vol.II, Romae 1928, p.8, sq.

in jure canonico non sortitur, ipse enim legitimatur statim. Est ipse infans illegitimus tantummodo quoad nomen.

3. Si parentes sunt vagi, locus originis prolis attenditur in omni casu locus nativitatis naturalis. (can. 90)

Sed quaeritur ubi est locus originis infantis expositi vel filii illegitimi cujus maternitas non cognoscitur? Locus originis est locus ubi ipse infans expositus inventus est et hic locus geratim etiam loco nativitatis correspondet. De filio illegitimo, cujus nec maternitas nec paternitas cognoscitur, idem dicendum est. Sed si, postea pater vel mater naturalis compareat et filius suum recognoscat, tunc filius habet suum locum originis in loco domicilii vel matris vel patris prout casus deferatur.

II. Locus domicilii vel quasi-domicilii

Unusquisque "sive per domicilium sive per quasi-domicilium suum parochum et Ordinarium sortitur". (can. 93) Effectus loci domicilii in jure canonico magni momenti sunt. Circa locum domicilii prolis jus canonicum factum naturale secutum est; nam de facto proles naturaliter insimul cum parentibus commorantur. Canon 93, parag. I: "...minor (retinet) domicilium illius cujus potestati subijcitur." Minor igitur habet domicilium necessarium quod a jure ipso statuitur et non dependet a voluntate minoris.

Jus canonicum non expresse dicit quod parentes habent potestatem determinandi domicilium prolis. Attamen hoc ex jure apparet; nam proles minor necessario retinet domicilium parentum et non potest sibi aliud domicilium acquirere; electio domicilii a parentibus facta indirecte determinat domicilium prolis. Quaeri potest an parentes possint prolibus domicilium separatum a suo proprio eligere. Responsio est negativa non propter defectum potestatis ex parte parentum sed ex defectu capacitatis acquirendi domicilium ex parte prolis minoris. Parentes vero possunt eligere quasi-domicilium separatum a suo

proprio destinatum proli minori; minor enim "infantia egressus potest quai-domicilium proprium obtinere." (can. 93, parag. 2.)

Proles minor in electione quasi-domicilii propriam voluntatem exercere nullo pacto impediri potest a parentibus, potest vero a parentibus impediri indirecte ob causas extrinsecas, v.g. quia locus electus educationi nocet.

Retinetne proles quasi-domicilium parentum? Jus etsi non expresse excludat retentionem quasi-domicilii parentum, sed scienter omisit verbum quasi-domicilii, dicendum est quasi-domicilium parentum a prole non esse de jure retinendum, nisi in casu defectus domicilii. De facto quasi-domicilium parentum a prole retinetur, si ipsa de facto cum parentibus in loco quasi-domicilii commoratur.

Praescriptio "minor domicilium illius cujus potestati subjicitur retinet" relate ad proles multae applicationes habentur:

1. in casu ordinario proles minor retinet domicilium parentum;
2. filius illegitimus retinet domicilium matris, quae quidem domicilium sui mariti habet;
3. filius illegitimus a patre naturali recognitus et in ejus familia vivet, retinet domicilium patris;
4. filius posthumus retinet domicilium matris, si mater est tutrix; si vero tutor praeter matrem juxta legem civilem datus est, filius retinet domicilium tutoris;
5. filius post mortem patris si mater est tutrix, retinet domicilium matri; si vero alius est tutor, filius retinet domicilium tutoris;
6. filius qui cum matre transivit ad secundum patrem, sub ejusque tutela vivet, retinet domicilium secundi mariti matris;
7. filius expositus retinet domicilium ejus sub cujus cura juridica vivit;
8. filius post legitimam et perpetuam separationem inter patrem et matrem retinet domicilium patris vel matris apud quem aletur et educatur.

Articulus III. Potestas patria relate ad statum clericalem et religiosum prolis

I. Potestas patria relate ad statum clericalem prolis

1. Electio status clericalis non dependet a potestate patria

Potestas patria, cum suum objectum in alimenti educationisque praestatione consistat, statum vitae prolis determinare nequit; quia, uti vidimus, parentes imponendi obligationem prolibus validituras per totam vitam sibi vindicare haud possunt. Status clericalis praeter obligationem status, potestatem etiam spiritualem ordinatis tribuit; quae potestas ab Ecclesia unice confertur. Postea status clericalis, qui pastores et doctores in Ecclesia Christi constituit, propter magnam suam obligationem et propter altam suam dignitatem graves longevosque conatus ad perfectiones exigit ab illis qui ad eum attendendum volunt. Vacatio praeterea divina ad statum clericalem est gratuitum donum ex misericordia divina; sine hac vocatione nemo ad statum clericalem ascendere praesumere audet. Haec duo vero requisiti non sunt in potestate patria, parentes enim non valent conatus ad perfectionem et vocationem divinam prolibus confere. Effectus, qui generatim nascuntur ex ordinatione sacra absque vocatione divina, sunt funestissimi ac deplorabiles quia qui sine vocatione divina ad statum clericalem ascendit, cum habitu quidem non vero cum spiritu clericali vivere contendit. Ad hoc funestissimum malum praecavendum jus graves poenas contra parentes potestate abutentes circa electionem status clericalis: "Excommunicatione nemini reservata ipso facto plecentur omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoque modo cogant virum ad statum clericalem amplectendum..." (can. 2352)

2. Sacra ordinatio prolis non dependet a consensu parentum

Ordinatio sacra confertur unice ab auctoritate ecclesiastica, quae

ex voluntate Christi sacramentum ordinis conficit sine dependentia ab ulla auctoritate humana. In sacramento baptismi consensus parentum requiritur ad liceitatem, in sacramento ordinis consensus parentum nullo pacto requiritur. Etenim codex juris canonici de requisitis ad validitatem et liceitatem ordinis nunquam mentionem de consensu parentum fecit. Ratio est, quia proles ordinatur, quando ipsi usum rationis jam habent, idcirco ipsi valent exercere jura a jure divino positivo concesse, quod jus extra potestatem patriam de natura sua habetur.

Execitium ministerii sacri semper est independenter a potestate patria, quia Ecclesiae ministri in suis officiis unice ab Ecclesia dependent.

II. Potestas patria relate ad statum religiosum proles

"Status religiosus seu stabilis in communi vivendi modus, quo fideles, praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per vota obedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt" (can. 487) obligationes renuntiationesque graves importat.

Adsunt quaedam documenta quae domonstrant antiquam disciplinam ecclesiasticam circa electionem status religiosi factam a parentibus.

"Additistis adhuc, quod si pater vel mater filium filiamve intra septa monasterii in infantiae annis sub regulari tradiderunt disciplina, utrum liceat eis postquam pubertatis annos impleverint, egredi et matrimonio copulari. Hoc omnino devitamus: quia nefas est, ut oblati a parentibus Deo filiis, voluptatis frena laxentur."⁽²¹⁾

"Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit, obligatum tenebit. proinde his ad mundum revertendi intercludimus additum, et omnes ad saeculum interdicimus regressus."⁽²²⁾

(21) c.2, C.XX, q.I.

(22) c.3, C.XX, q.I.

"Quicumque a parentibus propriis in monasterio fuerit delegatus, noverit se ibi perpetuo permansurum. Nam Anna Samuelem puerum natum et ablactum Deo cum pietate obtulit, qui et in ministerio templi quo a matre deputatus, et ubi constitutus est, deservivit".⁽²³⁾

In his textis clare statuitur oblationem a parentibus factam liberos in tota vita tenere. Sed quaeritur num haec obligatio sit de natura ipsius oblationis vel simpliciter de jure ecclesiastico. Obligatio haec sine dubio est de jure ecclesiastico, quia disciplina ecclesiastica hodierna jam non est ita, et postea in his documentis adsunt verba constituendae legis "hoc omnino devitamus" "proinde his ad mundum revertendi intercludimus additum et omnes ad saeculum interdicimus regressus." Est auctoritas ecclesiastica quae devitat et interdicat regressum ad mundum.

Disciplina ecclesiastica posterior et praesertim vicens praescriptionem istam deseruit et libertatem liberorum in electione status religiosi sapienter defendit. Omnes species violentiae in hac materia remouentur, ita ut nemo obligationem in domo religiosa manendi

(23) Zegeri Bernardus Van-Espen, *Jus eccles. Universum*, Napoli, 1766, Tom. I, part. 1, tit. XXV, cap. III, q. III.:

"Ob eandem libertatem tandem posterioribus saeculis data est facultas integra illis, qui ante pubertatem, id est, masculi ante 14 et puellae ante 12 aetatis annum a parentibus religioni erant oblati, dum ad pubertatem venerint, relicta religione ad saeculum redeundi; contra veterem disciplinam quae pueros a parentibus ante pubertatis annos oblatos ipsi religioni ita obstringebat ac si ipsi per se professionem emississent... Plures in hujus disciplinae probationem canones citat Gratianus ac tandem concludit: ex his auctoritatibus colligitur quod paterna professio pueros tenet alligatos; nec licebit eis a proposito discedere, quod paterno devotione in puerilibus annis susceperunt... At juxta responsum Celestini III datum anno 1191 et relatum in cap. 14 X. (de Regularibus) mutata veteri disciplina, puer in minori aetate oblatus postquam ad annos pubertatis sive discretionis pervenit, si monachalem habitum retinere noluerit, non est ullatenus compellendus: "quia tum liberum, si sit, eum dimittere, et bona paterna, quae ipsi ex successione proveniunt, postulare. "Cui responsio moderna monastica disciplina est conformis, maxima cum nec ante 16 aetatis annum ullam sive virorum sive mulierum professionem admitrat."

habeat, nisi haec obligatio ab ipsa persona scienter et libere amplexa est. Puella ante novitiatum et ante professionem ab Ordinario de libertate interrogari debet (can. 552); quicumque invalide ad novitium admittitur, si, metu aut dolo inducti sunt ad ingrediendam religionem (can. 542); quicumque invalide professionem emittit si vi, metu gravi aut dolo inducti professionem emittunt (can. 752); et poena canonica statuitur: "Excommunicatione nemini reservata ipso facto plectuntur omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoque modo cogant...sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam solemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam." (can. 2352)

Propria voluntas pro electione status religiosi in his canonibus iterum atque iterum affirmatur et efficitur elementum essenziale ad constituendam obligationem religiosam. praeterea periculum violentiae a parte parentum in hodierna disciplina difficulter accidit, cum codex statuerit ad validitatem novitiatus et professionis requiri aetatem a jure statutam scilicet decimum quintum completum aetatis annum pro novitiatu (can. 555), decimum sextum completum aetatis annum pro professione temporaria et vicesimum primum pro professione perpetua (can. 573). Itaque sive pro novitiatu sive pro professione proles jam habet usum rationis et suam voluntatem manifestare valent.

Oblatio proles impuberis a parentibus facta nunc jam non admittitur in jure canonico. De moralitate hujus oblationis cum Suarez affirmamus actum hunc non esse abusum potestatis patriae.⁽²⁴⁾

"Parentes, ait Suarez in n.3. hujus capituli, licite offerre possunt religioni filium ratione utentem ante annos pubertatis sine illius consensu, imo repugante voluntate....quia pater cogendo filium impuberem ad hunc ingressum utitur jure suo, et usus ille de se cadit in majus bonum filii et non privat illum jure suae libertatis, pro ea aetate

(24) Suarez, De religiosis, L.V, cap.II, n.I, sq. (Opera omnia, Paris, 1859, tom.XV, p.293 sq.)

in qua ad illum solum spectabit; ergo talis actus nec continet injuriam respectu filii, nec malitiam contra religionem aut aliam virtutem; ergo cum non inveniatur prohibitus, licitus est. Major (caetera enim clara sunt) probatur, quia pro illa aetate nondum puer est plene sui juris, sed habet voluntatem suam dependentem a voluntate parentis, etiam in his quae spectant ad instituendam viam in ordine ad bonum animae..."

Articulus IV. Potestas patris relate ad matrimonium prolis minoris

Matrimonium considerari potest aut ut actus transiens aut ut status permanens; ut actus transiens matrimonium est contractus; ut status permanens est vinculum. In nostro studio praesenti matrimonium summitur ut contractus et definiri potest: contractus inter virum et mulierem jure habiles legitime initus ad vitam individuum et conjugalem. Contractus conjugaliter vel matrimonialis christianorum characterem specialem habet ex dispositione Christi qui matrimonium christianorum ad dignitatem sacramenti evexit.

Inquiramus in hoc articulo quatenus est compedentia parentum circa matrimonium prolis minoris et videamus primo de sponsalibus prolis minoris et postea de matrimonio.⁽²⁵⁾

I. Consensus parentum relate ad sponsalia prolis minoris

Sponsalia sunt promissiones verae et mutuae inter personas jure habiles de futuro matrimonio legitime factae et acceptatae. Effectus

(25) Th. Sanchez, De matrimoniis sac. disputationes, (Venetiis) L. IV, D.22, n.4.
Fr. Schmalzgrueber, Jus c. univ. (Romae 1844) t.IV, part.II, n.86.

F.M. Cappello, S.J. Tractatus canonico-moralis de sacramentis; vol.III, De matrimonio, (Romae 1933) n.185 sq.

De Smet, De Sponsalibus et matrimonio, (Brugis 1927), p.453.

Wernz-Vidal, Jus Can. tom.V. (Romae 1928), p.150 sq.

J. Chelodi, Jus Matrimoniale, 1937; n.33.

sponsalium naturales independenter a jure positivo humano sunt obligatio ad futurum matrimonium contrahendum et fidelitatem quoad integritatem corporalem; effectus vero juridici dependent a praescriptionibus juris positivi humani. Jus canonicum effectus sponsalium juxta formam praescriptam initarum ita statuit: "ex matrimonii promissione, licet valida sit nec ulla justa causa ab eadem implenda excuset, non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen ad reparationem damnorum, si qua debeatur." (can. 1017, parag. 2.) Sponsalia igitur in jure canonico habent quidem obligationem naturalem celebrandi matrimonium promissum sed non habent juridicam defensionem qua aliquis contra infidelitatem alterius urgere possit celebrationem matrimonii.

In jure ecclesiastico antiquo sponsalia contrahentibus gravem obligationem imponebant ad matrimoni celebrationem cujus observantia poenis et poenitentiis urgebatur.

Quaeritur utrum sponsalia prolis minoris a parentibus facta eos obligent an non. In jure canonico sponsalia per se jam facienda sunt a prolibus ipsis et, si aliquando sponsalia facta sunt a parentibus, consensus prolis semper est necessarius ut sponsalia existere possint. Idcirco non potest esse quaestio de obligatione sponsalium factorum a parentibus, quia si adfuit consensus prolis, ipsa obligatione tenetur; si autem defuit consensus prolis, sponsalia non sunt valida.

In jure antiquo ecclesiastico poterat esse quaestio; sed resolutiones datae ab auctoritate pontifica fuerunt negativae relate ad obligationem.

"Si infantes ad invicem, vel unus major septenio et alter minor, sponsalia contraxerint ipsi, vel parentes pro eis, nisi per cohabitationem mutuam, seu alias verbo vel facto ipsorum voluntas liquido appareat, eosdem in eadem voluntate factos majores septenis perdere, sponsalia hujusmodi, quae ab initio nulla erant, per lapsum dicti temporis minime convalescunt: et ideo cum sint nulla ratione defectus consensus, publicae honestatis justitiam non inducunt."

"Porro ex sponsalibus quae parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint vel

tactite, ut si praesentes fuerint, nec contradixerint, obligantur; et ex eis oritur publicae justitiae honestatis. Ei est idem, si filii sponsaliorum absentes, et etiam, ignorantes eadem sponsalia post scientes ratificaverunt tacite vel expresse: alias ex sponsalibus contractis a parentibus pro filiis, nec ipsi filii obligentur, nec publicae honestatis justitia surgit.”⁽²⁶⁾

Aliqua dispositio singularis habetur in suo genere quae sancit obligationem deductam ex sponsalibus a parentibus contractis.⁽²⁷⁾

1. Consensus parentum requiritur ad validitatem an ad liceitatem sponsalium prolis minoris. Sponsalia differunt a matrimoniali contractu; sponsalia enim sunt promissiones ad matrimonium futurum, contractus matrimonialis est vero conjunctio quae consistit in traditione et acceptatione juris in corpus inter virum et mulierem ad invicem. Successio de requisito consensu parentum potest considerari sub duplici respectu, scilicet vel sub respectu juris naturalis vel sub respectu juris positivi ecclesiastici.

A. Sub respectu naturalis juris consensus parentum pro sponsaliis prolis minoris requiritur ad liceitatem. Sponsalia enim sunt contractus promissorius de matrimonio futuro id est de traditione sui corporis. Parentes jus in personam prolis minoris, ideoque in corpus ejus habent; propterea saltem non est licitum proli corpus suum alicui promittere sine consensu parentum. Postea sponsalia agunt etiam de instituenda vita conjugali cum quadam persona; vita vero conjugalis multas difficultates secumfert et, si electio personae non processerit cum prudentia, plures infelicitates etiam causabit, idcirco in negotio tanti momenti proles non licite procedit, si rationabilem consensum parentum neglexerit, quorum enim in curam proles commissa est.

B. Sub respectu juris ecclesiastici necessitas consensus parentum pro liceitate sponsalium habetur sicut in jure naturali, nam specialis

(26) C. unic. T.2, in Sexto.

(27) c.II, C.XXXI, q.II.

praescriptio de consensu parentum in jure canonico nunc non datur.

C. Tam in jurs naturali quam in jure canonico consensus parentum non requiritur ad validitatem sponsalium prolis minoris.

Consensus parentum in jure naturali non est necessarius ut sponsalia prolis minoris valida sint. Ratio est quia "in quibus secundum, quae ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenentur, sed solum Deo; quia omnes homines natura sunt pares; puta in his quae pertinent ad corporis sustentationem, et prolis generationem"⁽²⁸⁾. Itaque proles minor relate ad matrimonium non est absolute subdita parentum; ipsa enim jus habet ad matrimonium contrahendum et potest independenter hoc jus exercere. In sponsalibus proles igitur non aliquid quod ad ipsam non pertinet, promittit, sed promittit traditionem sui corporis quae in facultate prolis est; propterea disensus parentum non infirmat promissionem matrimonii.

Sponsalia in jure canonico pro sua validitate habere debent requisitam solemnitatem; canon enim 1017 dicit: "Matrimonii promissio sive unilateralis sive bilateralis seu sponsalitia, irrita est pro utroque foro, nisi facta fuerit per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho aut loci Ordinario, vel a duobus saltem testibus. Si utraque vel alterutra pars scribere nesciat vel nequeat, ad validitatem id in ipsa scriptura adnotetur et alius testis addatur qui cum parocho aut loci Ordinario vel duobus testibus scripturam subsignet." Inter requisita vero a jure stabilita ad validitatem sponsalium non mentionatur consensus parentum. Itaque consensus parentum in jure canonico non requiritur ad validitatem sponsalium prolis.

Potest esse alia quaestio in jure canonico de reparatione damnorum in casu infidelitatis. Parentes, qui sponsalibus prolis minoris non consenserint, non possunt damnari ad reparanda damna causata propter infidelitatem prolis suae relate ad sponsalia. Idcirco si actio de reparando damno apud tribunal ecclesiasticum introducitur, proles ipsa quae sponsalia sine consensu parentum contraxit damnandus est

(28) S. Thomas, II-II, q. CIV, a. V.

ad reparationem, si ipsa capax sit. Si vero causa apud tribunal civile introducitur, apud quod causa haec de effectibus mere civilibus introduci potest, sententia datur juxta jus civile de sponsalibus. Nunc vero in jure civili generatim proles minor sine consensu parentum invalide contrahunt sponsalia, reparatio damni iterum non datur.

II. Consensus parentum relate ad matrimonium prolis minoris

Ea, quae diximus antecetenter de sponsalibus prolis minoris valent etiam pro matrimonio quatenus est conjunctio viri et mulieris legitime facta ad statum conjugalem. Specialitas pro matrimonio habetur, quia matrimonium est sacramentum, cujus validitas ab auctoritate humana non dependet. (etiam in statuendo impedimento dirimenti Ecclesia non irritat matrimonium sed statuit inter istas personas matrimonium non posse celebrari; idcirco matrimonium revera non existit).

Si consensus parentum sit necessarius pro validitate matrimonii prolis minoris, hoc provenit vel ex jure divino naturali, vel ex jure divino positivo, vel ex jure ecclesiastico. Atqui nullo ex jure haec necessitas statuitur; ergo consensus parentum non equiritur ad validitatem. Consensus non requiritur a jure naturali; hoc jam probatum est in numero antecetenti de sponsalibus, quia proles jus habet tradendi suum corpus in conjunctionem matrimonialem independentem ab auctoritate parentum. Necessitas non provenit ex jure divino positivo; nam Ecclesia nunquam hanc necessitatem docuit, imo docuit contrarium: "Tametsi dubitandam non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, et proinde jure damnandi sunt illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnet, qui ea matrimonia a filisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse..."⁽²⁹⁾

(29) Conc. Trident., Sess. XXIV, cap.I, de reform, matrim.

Necessitas consensus parentum pro matrimonio prolis minoris ex jure ecclesiastico provenire potest, si Ecclesia statuit defectum consensus parentum esse impedimentum dirimens. Responsio in jure ecclesiastico vigenti est clara et negativa. Disputatio quaedam adest inter doctores, utrum jus ecclesiasticum antiquum requirebat consensum parentum ad validitatem an tantum ad liceitatem. Schmalzgrueber tenet consensum parentum tantum requiri ad liceitatem: "sed his non obstantibus, dicendum etiam de jure antiquo canonico non fuisse necessarium consensum parentum ad valorem matrimoniorum contractuum a filiis...Ad textus allegatos in contrarium facilis est responsio. Ad I. Dum ibi Pontifex ait sine consensu parentum non esse legitimas nuptias, intelligendum esse eas non esse contractas secundum sanctiones canonicas; nam absque consensu parentum contractae olim reputabantur clandestinae, gloss, in cap.fin.V. clandestina de clandestis despons. Innonc. ibidem..."⁽³⁰⁾ Inter recentes auctores J. Chelodi affirmat consensum parentum esse de validitate matrimonii.⁽³¹⁾

In jure canonico vigenti res clare apparet; nam ad validitatem matrimonii requiritur et sufficit consensus partium contrahentium: "Matrimonium facit partium consensus inter personas jure habiles legitime manifestatus, qui nulla humana potestas suppleri potest." (can. 1081) Jus itaque verbis categoricis expresse excludit necessitatem consensus parentum ad constitutionem matrimonii et affirmat impossibilitatem matrimonium faciendi praeter voluntatem contrahentium.

(30) F. Schmalzgrueber, *Jus C. univers.* (Romae 1844) t.IV, part.II, n.75.

(31) J. Chelodi, *Jus matrimoniale* 1937, n.33: "Consensus parentum, qui apud Hebraeos pro puellis, apud Romanos pro minoribus utriusque sexus ad validitatem nuptiarum requirebatur, vetusto jure germanico e contra generatim, solummodo ut ipsae omnes civiles effectus obtinerent, etiam in jure canonico olim magni momenti fuit. Ecclesia orientalis jus imperiale recepit, eaque hodiernum utitur; ecclesiae germanicae, praesertim ut raptus mulierum radicius extirparet, dirimens impedimentum statuerunt; in ecclesia romana aliisque regionum latinarum consensum parentum necessarium fuisse ad matrimonii valorem non ita constat, at videtur sane affirmandum."

Attamen altera praescriptio in jure canonico habetur: "parochus graviter filiosfamilias minores hortetur, ne nuptias ineant, insciis aut rationabiliter invitis parentibus; quod si obnuerint, eroum matrimonio ne adsistat, nisi consulto prius loci Ordinario." (can. 1034.) Itaque consensus rationabilis parentum requiritur ad liceitatem matrimonii minorum. Ratio hujus praescriptionis obvia est, quia parentes, tutores et instructores, in rebus tanti momenti interrogandi sunt, ne filii minores calidis fraudibus decepti neve impetu passionum compelliti veritatem rei non cognoscant et postea de sua infelicitate dolere debeant.

Consensus parentum semper requiritur nisi parentes irrationabiliter consensum denegent, vel filius bona ratione excusetur. De casibus magie particularibus tractatur apud moralistas.⁽³²⁾

Schollion

Utrum parentes cogere possunt proles ad matrimonium an non?

Matrimonium, licet sit institutum naturale et conservationi generis humani necessarium, omnibus et singulis hominibus tamen non est obligatorium, quia ad conservationem speciei non requiritur, ut omnes et singuli concurrant, sed sufficit ut, natura disponente, plures hoc opus assumant. Virginitas, virtus de consilio evangelico, superior habetur statu matrimoniali; ac hoc bonum capiendum omnes, qui a Deo vocati sunt, jus habent neque ab aliis impediri possunt. Cogere illum ad matrimonium, qui virginitatem, suadente Deo, servare vult, est impdire consecutionem boni altioris. Potestas patria, quae per se statum vitae prolis deteramiare nequit, multo magis consecutionem altioris boni prolibus impedire non valent." Quia in matrimonio, ait clarissimus Sanchez, est quasi servitus quaedam perpetua, et ideo cum homo liberae conditionis sit, nequit a parente in servitutem hanc

(32) F.M. Cappello, Tractatus canonico morali de sacr. (Romae 1933, v.III, n.187.)

compelli. Quod si arguas posse filium a parente in necessitate constituto vendi et ita sua libertate privari...Dic disparem esse rationem. Quia haec servitus non exigit mutuum amorem, nec est perpetua, potest enim redimi; quae secus se habent in matrimonio."⁽³³⁾ Per rationes extrinsecas parentes aliquando prolem ad matrimonium cogere possunt.⁽³⁴⁾

Articulus V. De potestate patria relate ad irritationem voti et juramenti prolis

Votum est promissio Deo facta, scilicet libera ac deliberata promissio de bono possibili ac meliore Deo facta. Pertinet igitur votum ad virtutem religionis, cum quo aliquis directe honorem Dei intendit, indirecte ac bonum sui animae. Juramentum est vero invocatio divini nominis in testem veritatis et dividitur principaliter in assertorium et promissorium. De hac ultima specie juramenti agitur in articulo praesenti.

Irritatio est actus liber quo superior obligationem voti vel juramenti promissorii personae subditae tollit aut perpetue aut pro tempore. Codex juris canonici statuit: "Qui potestatem dominativam in voluntatem voventis legitime exercet, potest ejus vota valide, et ex justa causa, et licite irrita reddere, ita ut nullo in casu obligatio postea reviviscat. Qui potestatem non quidem in voluntatem voventis, sed in voti materiam habet, potest voti obligationem tandiu suspendere, quamdiu voti adimplementum sibi praejudicium afferat." (1312)

Parentes potestatem dominativam in voluntatem proils minoris certe excrcent, idcirco quoad irritationem voti prolis potestatem valide adhibere possunt. Idem dicendum est de irritatione juramenti promissorii. (can. 1320)

(33) Th. Sanchez, De S. Matrimonii sac. disputationes, (Venetiis) L.IV, D.22, n.4.

(34) F. Schmalzgrueber, Jus C. univers. (Romae 1844) t.IV, part.II, n.86.

I. Subjectum potestatis irritandi votum prolis

Pater, qui potestatem patriam exercet, potest cum certo jure votum prolis irritare ut voti obligatio nunquam reviviscat.

Pater adoptans, qui in filium adoptatum minorem veram potestatem patriam exercet, ejus votum irritum reddere etiam potest. Idem habendum est de patre naturali versus filium illegitimum a se recognitum et sustentatum.

Mater relate ad filium illegitimum jus irritandi votum habet; relate ad filium posthumum etiam idem jus habet, quia de jure naturali potestas patria post patrem ad matrem pertinet et nunc item habetur generatim in jure civili. Relate vero ad filium, vivente patre, mater utrum jus irritandi votum prolis habet necne auctores non concordant; nobis videtur matri competere jus irritandi votum prolis, si jus civile statuit quod mater insimul cum patre potestatem patriam exercet in proles, quamvis subordinata idest non contra voluntatem patris. Si vero mater non exercet potestatem patriam, vivente patre, juxta jus civile, mater jus irritandi non habet, quia de jure naturali potestas patria a patre exercetur.

II. Votum quod irritari potest a potestate patria

Votum debet esse emissum a prole minori. De voto vero emissum a prole minori sed confirmato a parentibus potestas irritandi adhuc remanet in eis, quia consensus non tollit potestatem; parentes igitur possunt valide irritare istud votum.

Attamen votum quod emissum fuit a prole minori, sed confirmatum post aetatem majorem, non potest irritari a parentibus, quia proles nunc jam non sunt subditae parentibus quoad voluntatem suam totam et parentes in eas non amplius exercent potestatem dominativam in voluntatem. Votum vero factum in tempore minorennitatis et non expresse confirmatum in majorennitate potest adhuc irritari a paren-

tibus secundum aliquos auctores;⁽³⁵⁾ sed hoc nobis non apparet esse omnino probabile, quia jus clare dicit: qui potestatem dominativam in voluntatem voventis legitime exercet potest irritare votum. Parentes postquam proles aetatem majorem jam adimplevit potestatem dominativam in voluntatem prolis non legitime exercent.

Articulus VI. De potesta patria relate ad educationem prolum

I. Parentes sibi vindicare possunt jus educandi proprias proles contra tertiam personam

Officium educationis matrimonio intrinsece inhaerens jus parentibus confert contra quampiam alteram personam quae eos ad suum officium implendum deturbare aut excludere tendat. Nam si jus educandi directe aliis quam parentibus etiam competat, unitas, quae est requisitum necessarium educationis, deficit et conatus parentum ab aliis frustrari possunt.⁽³⁶⁾ Societas civilis jus educationis quidem etiam habet sed sese habere debet ut auxiliarium parentum, neque potest monopolium educationis instituere, spoliando jus parentibus⁽³⁷⁾. "Habet igitur familia proxime a Creatore munus proptereaue jus prolis educandae; quod quidem jus cum abjici nequeat, quia cum gravissimo officio conjunctum, tum cujusvis societatis civilis et reipublicae juri antecedit, eaque de causa nulli in terris potestati illud infringere licet."⁽³⁸⁾

(35) Ballerini-Palmieri, *Opus theolog. Morale*, (Prati 1899) vol.II, n.680.

(36) V. Cathrein, *Philosophia moralis*, ed. XVII, n.653.

(37) Ottaviani Al., *Institutiones J. Publici eccles.* (Romae 1936) vol.II, n.341.

V. Cathrein, *Philosophia morale*, (traduzione italiana, Fierenze, ed.III) vol.II, p.625 sq.

A. Ferretti, *Institutiones phil. moralis*, Romae 1891; vol.III, p.126.

(38) Pius XI. Liff Qus. "Divini illius magisten" (31, Dec. 1929) A.A.S. vol.XXI, 1929, p.506.

II. Parentes jus educationis sibi vindicare contra ecclesiam nequeunt

Christus Ecclesiam suam constituit magistram perennem generi humano eique jus ac officium tribuit docendi omnes gentes. Ecclesia igitur relate ad educationem religiosam jus exclusivum habet et parentibus mandatum dat ut proles secundum suam mentem in religione edocent. "Christus Dominus fidei depositum Ecclesiae concredidit ut ipsa, Spiritu Sancto jugiter adsistente, doctrinam revelatam sancte custodiret et fideliter exponeret. Ecclesiae independenter a qualibet civili potestate, jus est et officium gentes omnes doctrinam evangelicam docendi: hanc vero rite addiscere veramque Dei Ecclesiam amplecti omnes divina lege tenentur." (can. 1322)

Jus est Ecclesiae non tantum in docendo doctrinam religiosam sed etiam in exponendis scientiis profanis. "Ecclesiae est jus scholas cujusvis disciplinae non solum elementarias, sed etiam medias et superiores condendi." (can. 1375)

Parentes igitur mandatum ab Ecclesia recipiunt docendi proles in doctrinis religiosis; quod mandatum speciatim explicatur in docendo proles ea omnia quae necessaria sunt ad salutem et in praeparandis prolibus ad receptionem sacramentorum.

Caput IV

De Fundamento Et Natura Potestatis Patriae

In Jure Sinico

Articulus I. De fundamento potestatis patriae in jure sinico antiquo

Conceptus juridicus potestatis patriae apud Sinenses antiquos a conceptu dignitatis parentum secundum doctrinam confucianam dependet; in doctrina confuciana parentes sunt principium existentiae prolum, ideoque ipsi sunt quasi Coelum prolum et participant dignitatem Coeli, creatoris. Proles ad parentes pertinent ut principatum ad principium et ut pars ad totum. Ex hoc apparet potestas patria originaliter fundatur in generatione, qua parentes existentiam prolibus communicant. Sed generatio non est productio qualiscumque, est vero continuatio existentiae generantis; propterea generatio specialem titulum potestatis generantis in generatum confert. Potestas igitur patria formaliter consistit in dignitate perantum, quatenus ipsi esse principium et totalitas existentiae prolum habendi sunt.

Ex hoc principio si secundum vigorem juridicam procedat, conclusio deberet esse ita: parentes jus habent in prolem sicut in rem propriam, i.e. jus proprietatis. Sed non placuit sapientibus antiquis sinensibus urgere obligationes juridicas, quia ipsi procedebant secundum "Li", quod magis sapit obligationes morales. Rigitas igitur juris proprietatis inter parentes et proles a mente sinica aliena est: proles pertinent ad parentes non uti res ad dominum sed ut sanguis ex suo sanguine et caro ex sua carne. "Le analogie nelle organizzazioni famigliari dei due grandi popoli non sussistono: mentre i Romani l'autorità del paterfamilias, fin dall'epoca quiritaria, era assoluta e si fondeva sull'jus vitae et necis, affievolendosi soltanto nell'età di

messo e perdendo gran parte della sua forza nel periodo imperiale, per i Cinesi invece l'autorità e la patria potestas erano sostituite dall'amore e dallo rispetto filiale per il padre, e l'autorità penale spettava anche nell'ambito familiare, all'imperatore."⁽¹⁾

Potestas patria apud Sinenses antiquos ita circumscibi potest: complexus jurium quae parentes in proles acquirunt sicut in partem suae exsistentiae. Parentes jus quidem in prolem habent, sed jus suum exercent cum amore paterno, quia proles est continuatio exsistentiae eorum.

Articulus II. De fundamento potestatis patriae in jure sinico vigenti

Conceptus potestatis patriae in jure sinico vigenti est diversus ac in jure sinico antiquo. Jus sinicum familiare actuale conceptum juridicum occidentalem recepit et negat filios de tota sua vita ad parentes ordinari. Potestas patria in jure antiquo nimiam extensionem habebat et non paucos casus abusuum causavit; jus viciens in reactionem potestatem patriam ad minimum terminum restrinxit. In jure civili sinico vigenti non invenitur terminus potestatis patriae et quando agitur de hac materia titulus ponitur de relatione parentes inter et prolas.

Fundamentum potestatis patriae consistit in suis officiis naturalibus versus proles, quae parentes ex naturali lege recipiunt; jura ac officia parentum sunt correlativa et in legibus semper insimul nominantur.⁽²⁾ "Parentes habent jus et officium protegendum alendi atque educandi proles minores." (art. 1084, jus civile)⁽³⁾

(1) Ines-Joli-Insubato, Lineamento dello sviluppo del Diritto cinese, Roma, 1937; p.7.

(2) Jus familiare in jure sinico civili vigenti; Hu-chang-tseing. Shanghai, 1936, p.274.

(3) Jus familiare Sinicum viciens; Tsong-hong-shing. Shanghai, 1933; p.242.

Articulus III. De natura potestatis patriae in jure sinico antiquo

I. Ambitus potestatis patriae

Potestas patria mensuratur a suo fundamento et fine. Si potestas patria datur, quatenus parentes officium alendi ac educandi proles habeant, potestas haec extinguitur quando officium correspondens cessat. Nunc vero potestas patria in jure sinico antiquo fundatur in relatione parentum ad totam existentiam prolium, potestas mensuratur per existentiam prolium.

Quoad tempus- Potestas patria non ipso facto cessat, quando proles major facta est vel matrimonium contraxit, sed perdurat usque dum parentes e vita decesserunt. Nam proles, uptote principatum et pars parentum, ab eis nunquam separari debent, et quando proles cum parentibus insimul cohabitant, sub eorum potestate remanent. Mos apud populum sinicum ab exordiis historiae jam prohibebat separationem prolium a parentibus et constitutionem familiae propriae, antequam parentes in sepulchrum descenderunt. Jus postveniens morem existentem confirmavit et poenis statutis proles cum parentibus commorari urgebat.

"Viventibus avo vel avia, patre, vel matre, proles partem bonorum sibi debitam accipere et familiam separatam constituere praesumerint, intrudantur in carcerem per tres annos. Parentes vero, idest avus vel avia, pater vel mater, mandaverunt ut proles propriam ac separatam familiam constituent vel proles suas aliis dederunt illegitime ad successionem hereditariam, in carcere includantur per duos annos; proles vero sine culpa absolvuntur."⁽⁴⁾

"Viventibus parentibus, idest avus vel avia, pater, vel mater, proles partem bonorum sibi debitam accipere et familiam separatam constituere praesumpserint, poenas centum virgarum mulctantur...Si

(4) Codex Tang, L.IV. Tom.XII, art. "Proles non debent separari"

parentes hoc indulserint, faciant libenter."⁽⁵⁾

Constitutio familiae sinica erat forma familiae magnae, quae intra suas parietes plures generationes amplectebatur. Auctoritas in ambitu familiae habebatur unica in patre-familias; omnia vero alia membra, licet essent majores, sui juris non erant. Attamen conceptus patrisfamilias in familia sinica differens est ac in familia romana; nam paterfamilias apud Sinenses non considerabatur ut caput in quo resident omnia jura et potestas, sed considerabatur ut principium a quo omnes suam existentiam receperunt. Idcirco paterfamilias potestatem exercet in personas familiae, quia ipse jus in existentiam earum habet.

Quoad objecta- Potestas patria amplectitur omnes actus proles quia parentes jus habent in totam existentiam proles. Totus filius est sub potestate patria, cujus vero exercitium moderatur criterio hoc: exigere non posse a prolibus id quod esset contra amorem naturalem paternum.

II. Subjectum potestatis patriae

In familia sinica potestatis patria exercetur a paterfamilias, si paterfamilias est ascendens lineae rectae. Si vero paterfamilias est consanguineus lineae collateralis, jura parentum, quae sunt circa ordinem communem familiae uti de bonis, exerceri dedent a paterfamilias, caetera jura versus proles a parentibus ipsis exercentur. Potestas itaque patria plerumque coniugitur cum potestate patrisfamilias et subjectum potestatis patriae est paterfamilias.

Paterfamilias secundum morem jusque sinicum constituitur illa persona quae ascendentem consanguineum in familia non habet et est senior inter consanguineos aequales.⁽⁶⁾

Quaestio agitur inter jurisperitos modernos Sinenses; an mulier

(5) Codex Ts'ing, L.III, tom.VIII, c. de familia, art. "proles non debent..."

(6) Primum schema praeparatorium J.F., art. 1324; "Paterfamilias constituitur illa persona quae est primus interlineas ascendentes."

poterat esse paterfamilias vel non. Plures negant mulierem posse esse patremfamilias (caput familiae) et assertionem probare conantur argumentis deductis ex doctrina morali et praxi ⁽⁷⁾. Nam celebra est illa sententia, quae dicit: "mulier...habet triplicem subjectionem: in pueritia subjecit parentibus, post matrimonium subjecit marito, post mortem mariti subjecit filio."⁽⁸⁾ Et praxis popularis etiam tendit ad avertendam mulierem a gubernatione familiae.

Attamen, adhaerendo fideliter spiritui juris, debemus contrarium tenere et affirmamus mulierem secundum jus posse habere potestatem patrisfamilias. Certum est quando maritus in vita adhuc dies degit et est sanae mentis, mulierem nunquam sibi gubernium familiae arripere debere. Sed, murtuo marito et deficiente consanguineo ascendente, mulier gubernium familiae sibi suscipere potest; de facto vero propter defectum cognitionis experientiaeque mulier difficultatem timens filio, si jam major est, negotia familiae committit. Assertio non obstantes doctrina et praxi morali, firmis argumentis probari potest. Primo quia jus, quando loquitur de paterfamilias, non distinguit sexum et quando loquitur de avo, avia associatur, item quando de patre, mater associatur. Secundo quia jus explicite supponit mulierem posse esse caput familiae; jus enim, quando statuit responsabilitatem delicti commissi in detractioe tributorum et servitii publici, clare dicit: si caput familiae sit mulier et ipsa realiter non teneat gubernium familiae, tunc responsabilitas cadit super personam quae familiam regit sub nomine ipsius mulieris.⁽⁹⁾

Sub nomine patris hahendus est pater adoptans, qui filium adoptavit in successionem hereditariam idest per adoptionem perfectam. Relatio enim inter parentes adoptantes et filium adoptatum per adop-

(7) Tchu-chiao-yang, *Parvum studium originis J.F. Sinici*; (Shanghai 1934; p.69; Tchong-ku-yuang, *Parva historia matrimonii sinici* Shanghai 1935; p.93.

(8) I-li, (cèremonial) (traductio S. Couvreur Hsien-Hsien 1916, p.400) c.XI.

(9) Codex Tang, L.IV, tom.XII, art. "de fraude in censu."

Codex Ts'ing, L.III, tom.VIII, c. de familia, art. de faude in censu".

tionem perfectam est eadem ac inter parentes et filium naturalem.⁽¹⁰⁾

Sub nomine matris praeter matrem naturalem veniunt uxor principalis patris et uxor secundi matrimonii patris. Ob consuetudinem polygamiae unus vir plures uxores habere poterat; sed inter uxores, erat una principalis, quae erat prima et habet titulum uxoris; caeterae mulieres sunt concubinae et non eandem positionem juridicam habent ac uxor principalis. Liberi concubinarum versus uxorem principalem patris habent relationem sicut ad matrem suam et idcirco, mortuo patre, sub potestate ejus esse debent. Uxor secundi matrimonii patris relate ad liberos prioris uxoris mariti habent auctoritatem matris et ab ipsis venerantur sicut mater.

Articulus IV. De natura potestatis patriae in jure sinico vigenti

I. Ambitus potestatis patriae

Potestas patria in jure sinico vigenti ob mutationem conceptus juridici non jam exercetur in bonum parentum, sed in bonum prolum, quia fundamentum hujus potestatis in officiis parentum versus proles invenitur. Ambitus potestatis proportionatur fini. Jus sinicum vigens ambitum potestatis patriae stabilivit in articulo supra citato: "Parentes

(10) Tchu-chiao-yang, *Parvum studium originis J.F. Sinici*; Shanghai 1934; p.8.

Filius adoptatus per adoptionem perfectam vocatur filius hereditarius. Cum consuetudo sinica juxta principia moralia familiam continuari in suis posteroribus debere affirmaret, parentes prolibus carentes filium adoptivum ad continuationem suae familiae assumere tenentur. Hereditas in jure sinico antiquo constituitur principaliter non ex bonis, sed ex titulo ad filium hereditarium seu ad sacrificium antenatis offerendum. Heres, qui legitime antenatis suae familiae sacrificare possunt, esse primogenitus uxoris principalis debet. Si quando uxor principalis ulvam non aperuerit, vel perdidit omnes filios natos, tunc filius ad hunc titulum constituitur secundum ordinem stabilitum a jure. Filius hereditarius debet esse ex suae gentis consanguineis et esse non ex superiore generatione, scilicet secundum generationem non esse superiorem parentibus adoptantibus.

habent jus et officia protegendi, alendi atque educandi proles minores." (art. 1084) Potestas parentum igitur circumscribitur objectis et tempore.

Quoad objectum- parentes suam potestatem non exercent, sicut in jure antiquo, in totam existentiam prolis et consequenter in omnes actiones prolis, sed in actus qui pertinent ad officia alendi, protegendi atque educandi. In his etiam objectis parentes non habent absolutum exercitium potestatis sed inter limites legis.

Quoad tempus- potestas patria cessat, quando filius jam major factus vel matrimonium contraxit. Potestas parentum commensuratur capacitate agentis prolis; crescitur enim capacitas agendi liberi, decrescitur potestas parentum. De capacitate agendi jus civile vigens ita statuit: "Qui viginti aetatis annos complevit, est persona major." (art. 12) "Persona minor septem aetatis annos completos nondum habens, incapax agendi hebetur. Persona minor post septem aetatis annos completos, capacitatem diminutam agendi habet. Persona vero minor post matrimonium capacitatem agendi habet." (art. 13)

II. Subjectum potestatis patriae

Subjectum potestatis patriae est pater et mater: "Nisi lex aliter statuatur, jus et officium in proles minores pater et mater insimul exercent et adimplent. Quando in exercendo jure voluntates patris et matris concordantes non sunt, jus a patre exercetur. Quando pater et mater non possunt insimul adimplere omnia officia, officia adimpleantur ab illa parte quae capax est." (art. 1089)

Hic statuitur summa aequalitas inter patrem et matrem relate ad jura ac officia versus proles, quia spiritus legis ad absolutam aequalitatem mulieris et viri tendit. Praeferentia viri quidem adhuc habetur, quando voluntates patris et matris non sunt concordantes, sed haec praeferebat est minima. Circa officia jus dicit, quando duae partes non possunt insimul adimplere, adimpleat pars capax. Hoc valet quoad educationem, valet quoque quoad protectionem et sustentationem. Pro administratione enim familiae jus non statuit quod vir est caput vel

administrator familiae et admissit systema separationis bonorum conjugum et conjuges reciproce pro negotiis familiae esse procuratorem adinvicem. (art. 1003) Propterea pro adimpletione officiorum versus proles conjuges concurrere debent et, deficiente una parte, altera suplet.

Pro filio illegitimo mater habet potestatem patriam, ad quam acquirendam non requiritur recognitio filiationis facta a matre, quia jus statuit relationem inter filium illegitimum et matrem esse sicut filium legitimum cum matre (sine recognitione juridica). Pater vero potestatem patriam in filium illegitimum acquirit, quando ipse filium illegitimum esse suum filium recognovit. Recognitio fit vel explicite per actum recognitionis, vel implicite per ministrationem sustentationis atque educationis. (art. 1065)

Relatio inter parentes adoptantes et filium adoptatum est sicut inter parentes et liberos naturales, nisi lex aliud cautum sit. (art. 1077) Itaque parentes in filium adoptatum potestatem patriam exercent, si ipse est adhuc minor.

Articulus V. De effectibus juridicis potestatis patriae in jure sinico antiquo

I. Incapacitas agendi proles

In familia antiqua sinica, quae erat magna in sua constitutione et inter suas parietes plures generationes continebat, primus de consanguineis superioris generationis officium patrisfamilias retinebat et unicus potestatem in alia membra exercebat. Membra familiae, licet sint majores, imo etiam senes, capacitatem agendi non habebant; omnia enim quae sunt relate ad vitam familiae, pertinet ad patremfamilias et omnes actiones prolium sunt sub potestatem parentum. Ideoque proles, quamdiu sub tecto familiae paternae vivebant, semper nuncupabantur minores. Nam, cum proles essent in familia parentum,

omnia bona, quae prolibus sub quocumque titulo proveniunt, habentur esse bona parentum et proles de his bonis nullo modo disponere possunt; ideo relate ad bona proles sunt incapaces in agendo. Quoad electionem status vitae scilicet de matrimonio contrahendo et professione exercenda proles a voluntate parentum semper dependent neque per seipsos statum suum statuere valent. In aliis rebus proles nunquam firmiter agere possunt, quia sunt sub potestate dominativa parentum. Ratio summatim est haec, quia proles sub potestate parentum viventes, non habent aliquid suum proprium; omnia enim prolium sive vita, sive facultates, sive bona ad parentes pertinent et de his omnibus proles sine voluntate parentum invalide et illicite disponunt.

Exceptiones vel immunitates a patria potestate non dantur et etiam immunitate a jure naturali stabilitae a jure sinico antiquo non recognoscuntur uti de electione status vitae. Matrimonium sine consensu parentum consistere non potest, imo matrimonium antea valide contractum dissolvi etiam potest a parentibus, si mulier ipsis non placuerit. "Si filius admodum concordet uxori suae (eam amat), et parentes eam non ament, ejiciet (filius eam); si filius non concordet uxori suae, et parentes dicant: illa bene inservit nobis, filius exequatur conjugalem regulam (retinet eam) et ad finem vitae non pessundabit."⁽¹¹⁾

In jure antiquo sinico aderat institutio juridica majorennitatis et persona distinguebatur in majorem et minorem. Ritus pro festa majorennitatis est ritus imponendi pileum; annus ad recipiendum pileum statutus consideratur esse annus major. In regula domestica libri Li-ki annus pro viro est vigesimus aetatis, pro femina est decimus quintus.⁽¹²⁾ Dynastia Tang personam ita distinguit: "Anno quinto-U-teng (624 P.C.) magnae dynastiae Tang decretum publicatum fuit: masculus vel femina nuper natus vocatur infans; quattuor annorum natus vocatur minor; sexdecim annorum natus vocatur medius; ving-

(11) Li-ki, cap. de domestica regula; (cfr. Zottoli, *Curus litteraturae sinicae*, Shanghai, 1880; vol. III, p.693)

(12) Li-ki (ut in nota prima p.713)

inti unius annorum natus vocatur major et sexaginta annorum natus vocatur senex."⁽¹³⁾ Dynastia Song habet personam majorem viginta unius annorum natam; dynastia Ming statuit personam majorem esse sextecim annorum natam; dynastia Ts'ing idem constituit ac Ming.⁽¹⁴⁾

Attamen effectus juridicus majorennitatis toto coelo differt a majorennitate in aliis juribus; majorennitas in jure sinico antiquo statuta est non ad concedendam capacitatem agendi, sed ad stabilendam obligationem tributorum et laboris publici. Persona minor tributa non solvebat neque labores publicos praestabat; quando vero una persona pervenit ad majorem aetatem, tunc incipit habere obligationem tributa et laborem publicum solvendi.

Proles in certis circumstantiis agere per seipsas valent, scilicet cum permissione parentum extra domum paternam commercium vel munus publicum gerebant. Nam in his casibus proles in iis omnibus relate ad commercium et munus publicum semper valide agunt et etiam circa actus ordinarios in disponendis bonis capaces nuncupantur. Hoc quidem in jure non dicitur sed in consuetudine ita semper erat.

II. Obligatio juridica pietatis filialis

Pietas filialis per se est virtus moralis et obligationem moralem tantum habet. Tamen apud Sinenses antiquos res diversa haebatur, quia propter intimam connexionem ordinis moralis et ordinis juridici, obligationes morales induunt characterem juridicum. Praeterea quia parentes jus habent in totam existentiam prolis, obligationes pietatis filialis adveniunt obligationes judicae, quae a parentibus juridice exigi possunt.

Jus statuit poenae graves contra diversas species delicti impietatis, contra defectum sustentationis, contra violationem personae parentis, contra honorem parentis. Sed adest generalis lex quae statuit

(13) Yang-hong-lie, *Historia J.S.*, Shanghai, 1933; vol.I, p.507.

(14) Yang-hong-lie, (ut in nota I.), vol.I, p.627; vol.II, p.853, 997.

omnes actus impios puniendos esse poenis congruis; idcirco omnes actus pietatis filialis sunt imperati sub poena legali et parentes a prolibus pietatem exigere possunt cum vigore hujus praescriptionis legalis.⁽¹⁵⁾

Articulus VI. De effectibus juridicis potestatis patriae In Jure sinico vigenti

I. Parentes sunt tutores legales prolis

Jus vigens sinicum civile clare determinavit effectus, qui ex potestate patria nascuntur. Principium generale sic proponitur: "Parentes habentur esse tutores legales prolium minorum." (art. 1086) Persona infans capacitatem agendi non habet et persona minor capacitatem agendi diminutam habet. Tam illi quam isti in agendo indigent interventu tutoris legalis vel in toto vel in parte. "Persona incapax agendi per tutorem exprimit et recipit consensum (voluntatem)." (art. 76) "Persona habens diminutam capacitatem agendi, sine permissione tutoris legalis sola agit, invalide agit." (art. 78) Potestas igitur, patria in actionibus prolium minorum est elementum constituens, quo deficiente actio stare non potest.

Parentes, quantenus tutores legales prolium, agunt nomine prolium et sua auctoritate voluntatem prolium complent vel confirmant.

II. Incapacitas agendi prolium

Proles in agendo capacitatem habent secundum suam aetatem. Criterium enim dividendi aetatem est capacitas agendi, quae in tres species disperscitur: capacitas plena agendi, capacitas diminuta seu

(15) Codex Tang, L.VIII, tom.XXIV. art. "proles contra jusum"

Codex Ts'ing, L.VI, tom.XXX, cap. de processibus, art. "proles contra jusum"

imperfecta agendi et incapacitas absoluta agendi. Persona infra septennium est incapax absoluta agendi; persona supra septennium sed infra vigesimum habet capacitatem diminutam; persona vero supra vigesimum annum aetatis habet plenam capacitatem. Praeter majorennitatem naturalem matrimonium quidem capacitatem agendi personae confert. (art. 13) Itaque si proles infans est, absolute incapax habetur ad agendum et agit mediantibus parentibus. Proles minor, licet capacitatem diminutam agendi habeant, agere debent vel mediantibus parentibus vel cum parentibus, exceptis iis de quibus jus aliud cautum sit. "Persona habens capacitatem diminutam agendi ad manifestandum et recipiendum consensum indiget permissione vel consensu tutoris legalis; exceptis iis, quae de acquisitione simplici beneficii juris vel de actionibus pro ejus statu et aetate ad vitam quotidianam necessariis." (art. 77) "Persona habens capacitatem diminutam agendi sine permissione tutoris legalis invalide agit." (art. 78) "Persona habens capacitatem diminutam agendi sine permissione tutoris legalis contractum iniverit, contractus post recognitionem (ratihabitionem) tutoris legalis validitatem tandem recipit." (art. 79) "Persona absolute incapax agendi non potest conficere testamentum. Persona vero habens capacitatem diminutam agendi sine permissione tutoris legalis testamentum conficere potest; sed infra sextecim annos aetatis completos minor non potest conficere testamentum." (a. 1186) "Persona quae per actum juridicum sibi obligationem independenter suscipere valet, capacitatem in judicio agendi habet." (art. 42 J. proc. civile) "Persona incapax agendi in judicio invalide causam introducit et invalide facit alias actiones judiciales.." (art. 45, J. proc. c.)

Exceptiones ab incapacitate agendi prolibus minoribus a jure conceduntur sed sunt paucae. (art. 77, 84, 85.)

Caput V

De Exercitio Potestatis Patriae In Jure Sinico Antiquo

Articulus I. De potestate patria in personam prolis

Jus sinicum scriptum, quod est potius poenale quam disciplinale, non statuit quid potestas patria agere posset, sed prohibuit ea quae a parentibus fieri non deberent. Exercitia hujus potestatis cognosci possunt ex principiis moralibus ac juridicis et ex prohibitionibus. Distinguimus exercitia in tres partes, scilicet in personam, in statum vitae et in bona prolis.

Persona, individuata existentia, filii tota sub dependentia parentum habetur; potestas igitur patria primo loco exercetur in ipsam personam et facultates filii.

I. Jus utendi

Finis potestatis patriae in jure sinico antiquo ad bonum prolis non ordinatur, sed consistit in utilitate parentum, quia parentes jus habent in proles quatenus sunt principium eorum; sed principium non ordinatur ad principiatum, principiatum vero ad principium suum ordinari debet. Cum tota existentia filii consideretur ut continuatio et complementum existentiae parentum, existentia prolis ad perfectionem seu ad utilitatem existentiae parentum tendit.

Itaque parentes exigere possunt ut proles suas facultates físicas, spirituales...in eorum servitium ordinent. Labores cujuscumque speciei, salvata semper natura humana, prolibus imponere ipsi parentes valent ut proles cum propriis sudoribus conatisque omnia necessaria vitae, etiam abundantia, si qua possibilis sit, eis praestent. Proles igitur labores exercere debent, non tantum quia ipsi sustenta-

tionem a familia recipiunt, sed praesertim quia ipsi nati sunt ut suppleant parentes in laboribus. Mencius, magnus discipulus Confucii, (circa a. 372-289 a.C.) saepe saepius affirmat jus parentum ad quietem, quando ipsi proles ad labores jam idoneas habent. In hoc capite filii considerari possunt ut servi genitorum.

Hoc autem jus utendi non est confundendum cum jure proprietatis, quia Sinenses antiqui non concipiebant jus proprietatis nisi in rem irrationalem.

II. Jus castigandi

Castigatio, malum physicum aliquo modo infligens, medium educationis est et habetur semper in potestate parentum. Jus sinicum castigationem habet primario non ut medium educationis, sed ut poenam quandam contra inobedientiam. Si parentes jus in proles exercere valent, necessarium est ut datur eis medium ad urgendam obligationem. Hoc medium est castigatio.

Pro castigatione limes in jure statuitur, ne parentes in utendo jure suo excessus committant. Castigatio infligi potest usque ad mutilationem; mutilatio jam prohibetur." quando gradus superior (ascendens) percutit inferiorem gradum consanguinitatis, si sine mutilatione, casus non consideratur; si vero cum mutilatione, punitur poenis ordinariis de mutilatione cum diminutione..."⁽¹⁾

Parentes, qui in castigatione infligenda involuntarie mutilaverunt vel occiderunt proles, a delictis vacant; casus hic scilicet absolvendus ille qui involuntariam mutilationem vel occisionem commisit, non datur in jure, nisi parentibus.⁽²⁾

Jus est parentibus, ut, si ipsi vellent, proles inobedientes iudicibus tradere possint. "Quando parentes, idest avus vel avia, pater vel

(1) Codex Ts'ing, L. VI, tom. XXVIII, c. de conflictis, a. "superior gradus..."

(2) Codex Tang, L. VIII, tom. XXII, a. "Percutio et maledictio contra..."

mater, accusant proles inobedientes et petunt eas in exilium mitti, mittantur proles accusatae in extremam regionem..." "Si parentes idest avus vel avia, pater vel mater, liberos suos eorumque uxores judici tradunt, petentes eorum exilium, liberi una cum uxoribus in exilium mittantur..."⁽³⁾ Tamen erroneum est, si quis affirmat potestatem infligendi poenam legalem parentibus competere; quia castigatio non sapit poenam legalem.

III. Non datur jus necis

Videtur esse consequens naturale admittere jus necis; quia si parentes jus in totam existentiam prolis sicut in rem suam habent, naturale est quod ipsi possunt vel conservare vel tollere existentiam prolis. Tamen de facto jus necis non datur parentibus Sinensibus. Hoc provenit ex duabus rationibus: una ratione juridica, altera ratione morali. Ratio juridica, qua jus necis parentibus Sinensibus non conferitur, haec est: parentes jus absolutum in prolem non habent. Nam proles non sunt considerandae ut res irrationales, in quas jus proprietatis absolute exerceri potest; proles pertinet ad parentes, sed secundum naturam suam. Natura liberorum est natura humana quae jus ad vitam inviolabile unicuique concedit. Quapropter diximus supra, quod parentes jus in existentiam prolis exercere possunt, salvata

(3) Codex Ts'ing, L. VI, tom. XIII, c. de accusatione, a. "Si parentes..."

N.B. In jure sinico antiquo dantur quinque classes poenarum quarum unaquaeque in diversos gradus dividitur. (Codex Tang, L. I, tom. I, c. de poenis.)

1) Flagellatio: a) 10 ictus; b) 20 ictus; c) 30 ictus; d) 40 ictus; e) 50 ictus...

2) Virga: a) 60 ictus; b) 70 ictus.; c) 80 ictus.; d) 90 ictus.; e) 100 ictus..

3) Carceratio: a) unius anni cum 60 virgis; b) unius et dimidii an. cum 70 vir.; c) duorum an. cum 80 vir.; d) duorum et dimidii an. cum 90 vir.; e) trium an. cum 100 virgis.

4) Exilium: a) in terram 2000 "Li" distantem; b) in terram 2500 "Li" distantem; c) in terram 3000 "Li" distantem unacum 100 virgis.

5) Poena mortis; stragulatio et decapitatio.

semper natura humana. Ratio moralis, qua jus necis parentibus negatur, consistit in duobus capitibus. Primum quia occisio prolis habetur abhorrenda amor naturali quem parentes versus prolem sicut versus partem et continuationem suiipsius habere debeant. Secundum quia occisio prolis est magnum delictum contra pietatem filialem versus antenatos; etenim cum proles occisa fuerit, sacrificium antenatorum a nemine continetur, vel saltem diminuetur. Jus itaque sinicum jam ab antiquissimis temporibus occisionem prolum prohibuit:

"Parentes, idest avus vel avia, pater vel mater, cum armis proles suas occiderint, puniatur poena carceris quinque annorum; si occiderint propter odium, poena augetur per unum gradum."⁽⁴⁾

"Parentes (avus, avia, pater, mater) liberos suos occiderint, mulctantur poenas carceris duorum annorum cum dimidio."⁽⁵⁾

"Superior gradus consanguinitatis si occisionem inferioris gradus tentaverit, puniatur poena de occisione cum diminutione duorum graduum; si vero jam vulneraverit, poena de occisione cum diminutione unius gradus; si occiderit poena de occisione puniatur."⁽⁶⁾

"Si propter inobedientiam parentes (avus vel avia, pater vel mater) proles occidere praessumpserint, puniatur poena carceris unius anni."⁽⁷⁾

"Parentes sine causis cum armis prolem occiderint, puniatur virgis septuaginta septem ictuum. Parentes cum audivissent filiam suam nuptam crimen commississe, eamque occiderint, mulctantur poenas flagellationis quiquaginta septem et restituant arrhas familiae mariti filiae. Cum filius se impie gessisset versus parentes, parentes ideoque

(4) Tou-yim, *Collectio miscellanea* in art. 167 citat hanc praescriptionem quae est de jure dynastiae Wei septentrionalis (s.V-VI p.c.) cfr. Yang-heng-lie, *Historia J.S.* (Shanghai 1933), vol.I, p.258.

(5) *Codex Tang*, L. VIII, tom.XXII, a. "Parentes prolem occiderint..."

(6) *Codex Tang*, L. VII, tom.XVII, a. "Superior gradus..."

(7) *Codex Tang*, L. VIII, tom.XXII, art. "Propter inobedientiam..."

eum ejusque uxorem occiderint, puniantur poena septuaginta septem virgarum."⁽⁸⁾

"Cum proles inobedientiam commississet, parentes idest avus vel avia, pater vel mater, irrationabiliter (non secundum legem) eam occiderint, puniantur centum virgis; sine ulla causa prolem occiderint, mulctantur poenas sexaginta virgarum et unius anni carceris."⁽⁹⁾

Non defuerunt quidem casus expositionis vel imersionis infantium speciatim puellarum. Sed doctrina moralis confuciana hoc inhumanum factum esse permissum nuquam docuit et mos jusque sinicum ad stirpandum hoc malum conati sunt. Codex Yuen ita statuit: "Si quis suam puellam in aquam imerserit et ita eam occiderit, puniatur poena expoliationis dimidii bonorum ejus."⁽¹⁰⁾

IV. Non datur jus venditionis

Jus venditionis intelligitur jus quo parentes proles proprias in venditionem traddere possunt. Jus sinicum parentibus hanc facultatem non concessit propter principia moralia. Cum proles totaliter sint in potestate parentum, absolute loquendo, jus venditionis non est extra ambitum potestatis, quia proles ordinantur ad utilitatem parentum. Prohibitio venditionis provenit ex principiis moralibus. Principium morale prohibet genitoris et geniti separationem quae vel procedat ex parte genitoris vel procedat ex parte geniti, quia genitor genitusque unum quoddam efformant. Continuatio sacrificii antenatorum etiam exigit ut proles in alterius familiam non transferantur sine magna necessitate.

(8) Codex Yuen, Sectio de occisione, art. Occisio inter consanguineos" cfr. Yang-hong-lie, *Historia J.S.* (Shanghai 1933), vol.II, p.721.

(9) Codex Ts'ing, L. VI, tom.XXVIII, c. de conflictis, a. "Percutio..." etiam in Codice Ming, L. VI, tom.XX.

(10) Cfr. Yang-hong-lie, *Historia J.S.* (Shanghai 1933), vol.II, p.723.

"Venditio prolium punitur poena unius anni carceris; si vero superior gradus consanguinitatis ab inferiore gradu venditur, venditio punitur poena mortis..."⁽¹¹⁾

"Qui violenter vendiderit consanguineos inferioris gradus in servitutem, punitur poena de occisione; si cum consensu personae venditae, venditio punitur poena de occisione cum diminutione unius gradus..."⁽¹²⁾

"Qui cum cognovisset personam venditam esse a parentibus, nihilominus eam emerit, puniatur poena de venditione cum augmento unius gradus..."⁽¹³⁾

"Parentes proles in servitutem vendiderint, puniantur virgis octoginta..."⁽¹⁴⁾

Prohibitio tamen venditionis non est tan severa et absoluta ac prohibitio occisionis; etenim occisio directe pugnat contra naturam humanam et est prohibita propter rationem tam juridicam quam moralem; venditio autem vetatur solum propter rationes morales. In conditione normali parentes propter nullam causam proles, pretio aestimato, aliis tradere possunt, sed in extrema necessitate parentes, ne dicam permissi sint, tollerati saltem sunt, si ipsi proles pro pretio aliis dederint sub conditione futurae redemptionis. Factum hujusmodi in societate non raro evenerunt et auctoritates miseriam ignorantiamque parentum istorum magis commiserabant quam eis delictum imputare volebant.

V. Parentes non possunt prostituere filias

Adest aliud limen constitutum potestati patriae. Parentes jus suum

(11) Tou-yiu, Collectio miscelanea in art. 167 refert jus dynastiae Wei septentrionalis. (cfr. yang-hong-lie, Historia J.S. v.I, p.257.)

(12) Codex Tang, L. VII, tom.XX, a. "raptus et venditio personae."

(13) Codex Tang, L. VII, tom.XX, a. "complicitas in raptu et venditione."

(14) Codex Ts'ing, L. VI, tom.XXV, c. de latroniis, a. "raptus et venditio..."

utendi persona prolis exercere debent rationabiliter; si vero irrationabiliter exercent, tunc ipsi abutuntur jure suo. Abusio potestatis est prohibita Filia quidem officium habet servitium parentibus praestandi, sed servitium praestatur secundum normas morales. Nunc vero prostitutio, vel etiam simplex fornicatio, in doctrina morali confuciana est summum delictum contra fidelitatem; ergo potestas patria ad hoc extendi non potest. Fidelitas mulieris tam ante matrimonium quam post matrimonium altis laudibus severisque vigilantibus a populo sinico custoditur et in jure antiquo favore speciali semper gaudet. Mulier ad conservandam suam fidelitatem praeferre debet mortem caeteris quibuscumque violationibus. Itaque parentes ob propriam necessitatem ad lucrum faciendum filias ad vendendam suam fidelitatem cogere nequaquam possunt. Spiritus legis et aestimatio socialis malunt tollere venditionem personae filiae in servitutem quam prostituere filiam.

"Qui adulterio uxoris suae indulserit, ipse, uxor adultera et adulterator, unusquisque mulctatur poenas nonginta virgarum. Qui vero uxorem suam aut filiam adoptivam ad adulterium vel fornicationem cogere ausus fuerit, ille puniatur centum virgis, adulterator ootoginata virgis, uxor et filia non comdamnantur; uxor etiam a matrimonio separatur et restituatur familiae parentum, ita et restituatur filia adoptiva parentibus naturalibus. Qui filias proprias aut uxores vel concubinas filiorum ad adulterium vel fornicationem cogerit, puniatur sicut qui cogit uxores proprias vel filiam adoptivam."⁽¹⁵⁾

"Qui indulgere vel cogere filiam propriam vel uxorem propriam et concubinas proprias vel filias adoptivas vel uxores et concubinas filiorum ad adulterium vel fornicationem, praeter poenas stabilitas contra indulgentes et cogentes adulterium vel fornicationem, punitur adhuc ad portandum "cangue" per unum annum extra portam suae habitationis..."⁽¹⁶⁾

(15) Codex Tang, L.VI, tom.XXV, c. de adulteriis, a. "Qui indulserit..."

(16) Codex Ts'ing, L.VI, tom.XXXIII, c. de adulteriis sponsio ad art. de indulgentibus et cogentibus adulterium.

Articulus II. De potestate patria in statum vitae prolis

Status vitae a Sinensibus antiquis considerabatur esse simplex modus exsistentiae, vel modus vivendi. Cum tota exsistentia prolis sub potestate parentum remaneat, ejus modus certe a voluntate parentum dependet. Si potestas patria suum fundamentum in officiis sustentationis ac educationis ponit, tunc parentes quidem non valent imponere prolibus obligationem per totam vitam duraturam; si vero fundamentum hujus potestatis est in exsistentia prolis, parentes jus in totam exsistentiam prolis exercent et obligationem pro tota vita prolihus imponere queunt. Quaestiones circa statum vitae sunt praesertim duae; scilicet de professione et de matrimonio.

I. Potestas patria in determinanda professione prolis

In jure sinico expresse praescriptionem circa hanc quaestionem non habetur, sed elementa juridica nobis in prompto sunt. Jus parentibus competens ad determinandam professionem prolis vindicatur ex ratione supra dicta; nam parentes habent potestatem non circumscriptam ab aetate prolis vel ab objectis educationis, sed extensam ad totam vitam prolis. Professio importat unam obligationem et quandam quasi servitutem quotidianam prolibus; quae obligatio a parentibus imponi potest quatenus ipsi jus in totam exsistentiam prolis exercent.

Utilitas et bonum familiae postulant ut omnia membra ejus fructificent. Fructificatio haec ordinatur ad bonum commune familiae, ideoque regulari debet ab ipsa persona ad quam bonum familiae pertinet. Postea bonum parentum etiam exigit ut proles illis auxilium in laboribus praestent vel eos sustituant; modus defferendi auxilium et modus supplendi determinari debent ab ipsis parentibus. Itaque electio professionis semper facienda est sub voluntate potestatis patriae.

Proles, viventibus parentibus, propriam familiam separatam constituere prohibita est a lege; haec vero prohibitio in jure aequivaleat prohibitioni constituendi propriam personam, quia quando prolis

est in familia parentum, ipsa nunquam est sui juris, sed juris parentum, et a voluntate parentum dirigitur; ideoque ipsa incapax agendi semper remanet. Professio autem, quae non tantum est quaedam exercitio physica, sed effectus juridicos plures secumfert, non potest esse in potestate prolis, quae propriam voluntatem juridice exercendi capax non est.

In antiquitate scholae artis vel professionis nundum habebantur, sed educatio ad professionem fiebat privatim apud magistros peritos in familia. Mos erat in Sinis quod magistri non tantum electi sunt a parentibus, sed considerati sunt uti locum parentum tenentes. Omnes magistri apud Sinenses magno honore venerabantur a discipulis, quia ipsi repraesentant parentes.

Ex his rationibus concludi legitimum est quod professio prolis in antiquitate sinica a parentibus determinari, idest electio professionis est penes parentes.

II. Potestas patris in matrimonium prolis⁽¹⁷⁾

1. Conceptus iuridicus de matrimonio

Jus sinicum antiquum de juribus civilibus perpauca statuit; in his paucis praescriptionibus civilibus major pars est circa matrimonium. In doctrina morali matrimonium est constitutio quae altam existimationem meretur; matrimonium enim significat continuationem sacrificii antenatorum et ita in libris rituum pluribus praescriptionibus circumdatur.

Conceptus iuridicus de matrimonio apud Sinenses antiquos differens est ac apud doctrinam catholicam. Nam matrimonium in jure sinico consideratur ut contractus inter duas familias, non vero inter duas

(17) P. Pierre Hoang, *Le mariage chinois*, Shanghai 1898.

personas privatas, scilicet inter patresfamilias duarum familiarum.⁽¹⁸⁾ Hic conceptus in doctrina morali confuciana continetur, quae, cum matrimonium esse continuationem antenatorum considerat, id ad bonum familiae ordinari asserit. Finis enim matrimonii consistit in procreatione liberorum, qui, licet directe existentiam parentum continuent, indirecte continuationem antenatorum et familiae perficiunt; itaque matrimonium non ordinatur ad bonum privatum, ordinatur vero ad bonum familiae commune. Cum matrimonium in bonum familiae ordinari debet, id ad potestatem parentum pertinet, quorum curae bonum familiae commendatum est a naturae lege. Conceptus hic de matrimonio manifestatur in singulis caerimoniis, quae fiunt per mandatum parentum a personis specialiter electis.⁽¹⁹⁾ In jure quando loquitur de duabus partibus contrahentibus, terminus technicus est familia viri vel familia mulieris; hoc luculenter demonstrat conceptum quem jus de matrimonio habet.

2. Matrimonium prolis juridice contrahitur per parentes

Sponsalia in antiquo jure sinico obligationem ad matrimonium contrahendum sub poenis imponebant duabus contrahentibus; ita fidelitas conjugalitatis practice post sponsalia esse incipit.

In jure statuitur sponsalia perficienda esse a contrahentibus legalibus, qui non sunt ipsae personae realiter contrahentes sed sunt duae personae de parentibus sponsorum juxta ordinem jure stabilitum. Codex Tang saepe loquitur de contrahentibus legalibus, ordinem autem observandum inter parentes adhuc non praescripsit. Code Ts'ing ordinem pro constitutione personae contrahentis legalis inter parentes expresse statuit.

"Conducere uxorem et nuptiis dare filiam, idest sponsalia prolium,

(18) Tchen-koo-yuan, *Parva historia matrimonii sinici*, Shanghai 1935; p.23.

(19) Tchen-koo-yuan, (ut in nota I.) p.96.

perficiunt parentes scilicet avus vel arius, pater vel mater; his omnibus deficientibus, ceteri consanguinei ista sponsalia contrahunt. Mortuo marito, mulier secumtulit filiam ad alterum matrimonium, ipsa perficiet sponsalia istae filiae..."⁽²⁰⁾ Terminus ceteri consanguinei in commentario officiali hujus articuli indicat personas sequentes: patruos eorumque uxores de linea paterna, amitam paternam, fratres majores et soreres majores, avum vel aviam de linea materna; deficientibus his omnibus, tunc consanguinei inferioris gradus, pro quibus luctus unius anni observatur, et consanguinei superioris gradus vel inferioris, pro quibus luctus novem mensium observatur.⁽²¹⁾

Aliud argumentum, quod probat sponsalia prolium juridice perficiuntur per parentes, habetur in jure quando statuitur de responsabilitate delictorum in sponsalibus commissorum. Jus, responsabilitatem horum delictorum non super personam realiter sponsalia contrahentes sed super contrahentes legales idest parentes constituit. Si isti contrahentes legales responsabilitatem super seipsos portare debent, signum est, quod ipsi in sponsalibus contrahentes principales juridici fueruat. Ergo sponsalia prolium juridice perficiuntur per parentes.

(20) Codex Tang, L.III, tom.X, c. de sponsalibus; responsio I and art. de contrahentibus..."

(21) Modus enumerandi consanguinitatem fit per durationem luctus in jure sinico antiquo. Luctus variatur secundum propinguitatem personae mortuae; pro persona propinguiore luctus habetur longior et gravior, pro persona magis distante luctus habetur brevior et levior. Luctus dividitur in quinque gradus:

- a) primus gradus perdurat per tres annos cum vestimento confecto ex lino rudissimo sine confectione partis inferioris;
- b) secundus gradus perdurat per annum cum vestimento confecto ex lino rudiori sine confectione partis inferioris, et cum virga luctusa vel sine.
- c) tertius gradus perdurat per novem menses cum vestimento ex lino rudi.
- d) quartus gradus perdurat per quinque menses cum vestimento ex lino ordinario confecto sed si pro persona superiori tunc cum vestimento ex lino rudiori sicut in secundo gradu luctus.
- e) quintus gradus perdurat per tres menses cum vestimento ex lino ordinario confecto sed si pro persona superiori tunc cum vestimento ex lino rudiori confecto sicut in secundo gradu luctus.

"Qui libellum sponsalium vel promissionem privatam jam fecerit de nubenda sua filia, postea vero fidem non servat, puniatur sexaginta virgis. Licet antea libellum sponsalium non scripserit, sed arrhas recipit, fide non servata, eadem poena puniatur. Si vero non tantum fides non servatur, sed etiam filia promissa alteri in matrimonium data fuerit, poena est centum virgarum. Si istud matrimonium contractum fuerit, poena erit unius anni carceris. Parentes mariti, qui hanc mulierem conduxerit, si antea cognoverit mulierem jam promissam fuisse alteri, puniantur poena eadem ac ipsi qui filiam promissam in matrimonium alteri viro tradidderit cum diminutione unius gradus. Mulier separetur a matrimonio et tradetur primo viro cui mulier prima vice promissa fuerit; si vero primus vir eam conducere non vult, tunc datur secundo viro."⁽²²⁾

"In sponsalibus si familia mulieris substitutionem personae fecerit, puniatur (contrahentes legales) poena unius anni carceris. Si familia viri substitutionem fecerit, poena augetur per unum gradum. Si matrimonium nudum contractum fuerit, contrahatur inter personas antea intentas a duabus partibus. Si matrimonium vero contractum fuerit cum substitutione personae, matrimonium separetur."⁽²³⁾

"In sponsalibus, si una pars habet morbum incurabilem, vel defectum membri, vel est longe senior vel junior, vel nata ex concubina, vel est adoptiva, certiores facere duas contrahentes familias oporteat, quae sicut voluerint, sponsalium libellum inscribant et secundum leges arras mittant" Postea si fides non servatur, contrahens legalis partis culpabilis punitur.⁽²⁴⁾

"In sponsalibus vel matrimonio, si substitutio personae a familia mulieris facta fuerit, puniatur (contrahens legalis) octoginta virgarum poena; arrhae familiae viri restituantur. Si substitutio facta fuerit a

(22) Codex Tang, L.IV, tom.XIII, art. "sponsalia de filia nubenda."

(23) Codex Tang, L.IV, tom.XIII, art. "de substitutione in sponsalibus..."

(24) Codex Ming, L.III, tom.VI, cap. de matrimonio; a. "Sponsalia filiarum..."

familia viri, poena augetur per unum gradum et arrhae non restituuntur. Si matrimonium nundum contractum fuerit, contrahatur inter personas promissas; si matrimonium cum substitutione personae perfectum, dissolvatur."⁽²⁵⁾

"In initio sponsalium, si vir vel mulier morbum incurabilem habet, vel defectus est in uno membro, certiores esse factas duas familias contrahentes oporteat. Si ad sponsalia intervenire voluerint, tunc libellus sponsalium inscribatur et arrhae secundum legem mittantur et postea matrimonium regulariter contrahatur. Si casus evenit, quod puella alicui in sponsalia jam data fuerit, sed parentes de his sese penitent et propterea fides non servatur, puniuntur parentes flagellatione quinquaginta ictuum; licet antea libellus sponsalium non fuerit conscriptus, sed arrhae jam traditae sunt, casus idem habetur. - Puella jam alicui desponsata, iterum alteri in sponsalia traditur, ante matrimonium punitur (contrahens legalis) septuaginta virgarum poena; post vero matrimonium cum viro secunda vice promisso, punitur octoginta virgis. Familia, quae scienter puellam jam alicui antea promissum conduxit, habet (contrahens legalis) eandem poenam; arrhae restituantur aerario publico. Si familia conducens nesciverit puellam antea esse promissam alicui, non condemnatur et sibi restitutionem arrharum petat. Et matrimonium divolvendum est et mulier tradatur viro cui ea prima vice promissa fuit; si vir eam conducere nonvult, mulier datur secundo viro. Si familia viri hae omnia scilicet infidelitatem ad sponsalia commiserit, poena eadem habetur et arrhae non restituentur. (Jubetur quoque conducere puellam prima vice desponsatam) Ante matrimonium vir vel mulier fornicationem commiserit, praescriptiones supra dictae non applicantur. -In matrimonio, si substitutio personae a familia mulieris commissa fuerit, punitur (contrahens legalis) octoginta virgis et restituantur arrhae. Si vero substitutio personae a familis viri facta fuerit, poena augetur per unum gradum,

(25) Codex Ming, (ut in nota 2) a. "de substitutione..." (pro notis 2, 3, cfr. Yang-hong-lie, *Historia J.S.* (Shanghai 1933) vol.II, p.852.

neque arrhae restituentur. Matrimonium si nondum contractum fuerit, contrahatur inter personas antea promissas; si jam contractum fuerit cum substitutione personae, dissolvatur. -Post libellum sponsalium et arrhas traditas sed dies praefixus pro matrimonio contrahendo nondum pervenit, familia viri violenter sponsam ad matrimonium rapere tentavit; vel postquam dies matrimonii contrahendi pervenit, familia mulieris sine causis matrimonii celebrationem procrastinare praesumit; punitur (contrahens legalis) flagellatione quinquaginta ictuum. - Cum familia mulieris fidem sponsalium servare nolle, familia viri sponsam rapere praesumpserit, punitur (contrahens legalis) poena de raptu cum diminutione duorum graduum. Aut familia mulieris cum mulier secundum sententiam iudicis viro tradita fuisset, eam rapere de familia viri praesumpserit, punitur poena de raptu."⁽²⁶⁾

In omnibus textibus supra citatis jus responsabilitatem delictorum super contrahentes legales considerat, sive contrahentes reales cooperationem dederint sive non. Itaque clare manifestatur qualis conceptus de matrimonio in iure habeatur.

3. Parentes proles ad matrimonium contrahendum cogere possunt

Virginitas, quae a Christo Domino in genere humano planta est, in antiquitate mentem humanam quasi superabat absconditaque erat ab hominum sapientia. Populus sinicus, licet sit amator virtutum naturalium, hanc virtutem non cognovit neque coluit, sed matrimonium omnibus obligatorium esse consideravit. Ratio specialis etiam aderat, quia pietas filialis confuciana continuationem familiae, scilicet continuationem sacrificii antenatorum procurare tenetur; ideoque matrimonium omnibus filiis piis necessarium habetur.

"Moncius ait: defectus pietatis exstat triplex: carere posteris est maximus."⁽²⁷⁾ Haec sententia, bravis sed perspicax, influxum immen-

(26) Codex Ta'ing, L.III, tom.X, c. dematrimonio; a. "sponasalia et mat..."

(27) Mon-tze, cap.IV, pars.II, n.26. (cfr. Zottoli, *Cursus litteraturae sinicae*, Shanghai 1879, vol.II, p.507)

sum in populum Sinensem excercuit et dabat rationes quibus multae constitutiones sociales et juridicae cohonestantur uti ducere concubinam. Proles sunt ordinatae ad continuationem parentum non solum in existentia physica, quae realiter brevis est; sed in memoria et amore, qui perpetuantur in sacrificiis annualibus. Sacrificium vero antenatis offerendum perfici debent a suis posteris, non ab extraneis. Ideoque pietas filialis exigit, ut sacrificium istud nunquam cesset. Cumque sacrificium non offeratur nisi a posteris familiae, propterea procreatio prolum ad continuandum sacrificium est actus pietatis; procreatio prolum habetur tantum in matrimonio; matrimonium ergo a nullo filio pio negari potest.

Officium itaque est unicuique ut de continuatione suiipsius et antenatorum excogitet. Cum continuatio fit per matrimonium prolum, parentes igitur jus imponendi obligationem contrahendi matrimonium prolibus valent. Hoc jus parentum, licet in codicibus non expresse dicatur, sed impliciter supponit et in consuetudine diurnis praxibus sancitum est.

Hoc jus in codicibus supponitur:

"Mortuo marito, uxor viduitatem servare volens, si coacta fuerit ad secundas nuptias, separetur a matrimonio coacto, nisi coactio, provenisset a parentibus, idest ab avio vel avia, vel patre vel matre. Mulier a matrimonio separata in domum prioris viri restituitur; cogentes (non parentes) puniuntur poena unius anni carceris."⁽²⁸⁾

"Mortuo marito et finito luctu, uxor in viduitate remanere volens, si coacta fuerit ad alteras nuptias, nisi cogentes fuerint parentes (avus vel avia, pater, vel mater) separetur a matrimonio coacto et restituatur familiae prioris viri ut suam viduitatem servare possit; cogentes (non parentes) puniuntur octoginta virgis..."⁽²⁹⁾

(28) Codex Tang, L.IV, tom.XIV; a. de coactione vidaue.

(29) Codex Ming, L.III, tom.VI; c. de matrimonio; a. de coactione. cfr. yang-hong-lie, Historia J.S. Shanghai, 1933; vol.II, p.853.

Viduitas apud populum sinicum summis laudibus exaltabatur, quia est confirmatio fidelitatis uxoris quae juxta doctrinam confucianam uni viro traddi tantum debet. Tamen potestas patria praevallet viduitatem et filiam viduam ad matrimonium cogere valent. Ex hoc legitime deduci potest jus cogendi proles ad matrimonium contrahendum in jure supponi; nam matrimonium filiis est officium pietatis, parentes ergo proles ad officium adimplendum cogere certe queunt. Coactio vero viduae ad secundas nuptias tandem in cedice Ts'ing sub omni respectu prohibita est, etiamsi coactio fuisset facta a parentibus.⁽³⁰⁾ Haec vero prohibitio assumi ad probandam spoliationem juris cogendi matrimonium non potest, quia viduitas habetur in jure ut aliquid licitum et laudabile et ideo statuitur defensio; virginitas vero a jure non approbatur; matrimonium e contra omnibus necessarium erat.

Hoc jus etiam in consuetudine diuturnis praxibus sancitum est. Nam consuetudo erat ut sponsalia prolium aliquando fieret in annis, in quibus proles usum rationis nondum habent, immo etiam aliquando adhuc foetus sunt. Haec autem sponsalia contrahabantur a parentibus et obligationem eandem habebant acsi sponsalia in maturi aetate prolium facta. Sed casus potuit esse, in quo proles matrimonium contrahere nolebat, nihillominus fides a parentibus data ab ipsa prole servanda est et sic matrimonium nuncupatur esse obligatorium. Codex Ts'ing hanc consuetudinem sponsalia in tenerissimis annis prolium faciendi prohibere tentavit, sed consuetudo, non obstante prohibitione, in societate propter suam profundam radicem removeri non potuit, nisi in his ultimis temporibus.⁽³¹⁾

(30) Codex Ts'ing, L.III, tom.X, c. de matrimonio; a. Nuptiae Viduae:

"Mortuo marito et finito luctu, uxor in viduitate remanere volens, cum coacta fuerit ad alteras nuptias; si matrimonium coactum jam contractum fuerit, ipsa in matrimonio remaneat; si matrimonium nondum fuerit contractum, sponsalia disolvantur et mulier in viduitate maneat. Cogentes si fuerunt parentes (avus, avia, pater mater) puniantur octoginta virgis..."

(31) Codex Ts'ing, L.III, tom.X, c. de matrimonio; responsio 2 ad art. de nuptiis.

4. Parentes determinant matrimonium prolum

Electio sponsi vel sponsae pro matrimonio prolum fit a parentibus; si sponsalia fiunt in aetate in qua proles usum rationis nondum adeptus est; hoc clarum est, nempe proles in eo momento quo sponsalia contrahuntur, nec sciunt eligere neque sciunt quid sint sponsalia; si vero sponsalia fiunt, postquam proles usu rationis jam gaudet, parentes sunt semper contrahentes principales et nomine proprio faciunt. De facto parentes voluntatem prolum interrogare solent, sed de jure ipsi non sunt obligati ad petentum consensum prolum et si ipsi contrahunt sponsalia pro prolibus, insciis vel absentibus iis, vel etiam contradicentibus, sponsalia suam obligationem ad matrimonium contrahendum prolibus imponunt.

Consensus parentum pro matrimonio prolum est elementum principale; eo deficiente, matrimonium non potest exsistere. Nam si sponsalia fiunt quasi nomine parentum, consequens est ut eorum consensus sit necessarius ad validitatem. Nam id quod fit nomine proprio, fit de ejus consensu.

Postea cum sponsalia considerantur esse contracta inter duas familias et in his sponsalibus parentes duarum familiarum sibi mutue proles in matrimonium promittunt, sponsalia igitur perficiuntur per consensum parentum. Hoc consequitur etiam ex alio capite; eo quod parentes jus in personam prolum habent, propterea parentes sibi jus vindicant ne proles se alteri traddant sine eorum praevio consensu.

In jure sinico antiquo consensus prolum pro proprio matrimonio non contemplatur; non propter quod jus affirmat matrimonium sine proprio consensu perfici posse, sed quia consensus parentum est principalis, de quo jus tantum lequitur. Reapse non deficiebat consensus prolum, quoniam proles cognoscebant sponsalia a parentibus contracta a se observanda esse et sibi praesto non esse aliud medium ad solvenda haec sponsalia, in matrimonio de facto, licet aliquando coacta, consenserunt, vel saltem per vitam conjugalem matrimonium tacite ratihabuerunt.

Datur casus in quo proles sibi in matrimonium mulierem a se electam sine praevio consensu parentum conducere valent; quando enim filius de consensu parentum extra domum paternam longe se debebat pro commercio vel officio publico fungendo; si ipse, insciis parentibus, sponsalia cum muliere honesta fecit sponsamque in matrimonium conduxit; ejus matrimonium valet etiamsi parentes domi manentes alia sponsalia pro ipso filio fecerant, inscio quidem filio.⁽³²⁾

Articulus III. Potestas patria in bona prolium

I. Omnia bona prolis sunt bona parentum

Omnia bona sive mobilia sive immobilia familiae sub potestate patrisfamiliae administrantur; paterfamilias jus proprietatis habet in bona familiae et ipse de eis sicut vult disponere potest.

Proles quamdiu familiam separatam a familia paterna non constituerit, bona privata nomine proprio nunquam possidet. In jure sinico inveniri non potest aliqua species peculii prolum, et mos proles possidere prohibet. "Tant ses parents sont en vie, il ne promet pas à un ami de se devouer pour lui jusqu'à la mort, (parce que la vie ne lui appartient pas, mais appartient à ses parents) il ne possède rien en propre."⁽³³⁾

Si omnia bona sunt in proprietate parentum, proles de bonis nihil possunt agere sine mandato vel saltem consensu eorum. Jus propterea sanctiones poenales statuit contra actiones illegitimas prolum circa bona.

(32) Codex Tang, L.IV, tom.XIV, a. "de sponsalibus prolum qui sunt extra..."

(33) Li-ki, cap. K'ui-li, part. I, art. III, n.14. (traductio S. Couveur 1913; v.I. p.14)

"Consanguinei inferioris gradus vel filiifamilias sua voluntate bona familiae impendere praesumpserint, pro unoquoque decimo "P'i" puniantur decem ictuum flagellationibus; sed summum flagellationis non excedat centum ictus..."⁽³⁴⁾

"Consanguinei inferioris gradus vel filiifamilias sua voluntate bona familiae impendere praesumpserint, pro unoquoque decimo "Lian" puniantur viginti ictuum flagellationibus..."⁽³⁵⁾

Exceptio de possessionis incapacitate non datur prolibus; datur vero exceptio de incapacitate administrationis. Cum proles majores de mandato vel de consensu parentum commercium vel publicum officium extra domum paternam gererent, tunc proles de bonia suis independeter disponere possunt, sed acquirunt bona parentibus. Idcirco filii ipsi ad omnes actus dispositivos circa haec bona capaces sunt.

II. Officium prolis ad sustentandos parentes

Jus parentum in bona prolis magis in claritatem redditur, si aliquo modo consideramus officium prolis ad sustentandos parentes. Nam hoc officium si consideratur ex parte prolis est officium pietatis filialis; si vero consideratur ex parte parentum, est una consequentia naturalis juris parentum in bona prolis. Proles, sive manentes in familia paterna, sive etiam viventes in familia separata, habent semper in suis humeris officium sustentandi parentes. Doctrina de officio sustentationis uti officio ordinario prolium clare apparet in assertionibus doctorum confucianistarum. "Tseng-tse ait: pius filius serviens senioribus (parentibus) exhibebit eorum cor, non contradicet eorum

(34) Codex Tang, L.IV, tom.XII, a. "de consumptione illegitima."

(35) Codex Ts'ing, L.III, tom.XIII, c. de servitio familiari, a. de consumptione illegitima.

sensui, recreabit eorum auditum visumque, commodabit eorum mansionem cubitumque, et cum propriis potioribus cibisque fideliter nutriet eos, pii filii tota; tota vita, inquam, non tota parentum vita, sed tota ipsius vita (filii) scilicet:..."⁽³⁶⁾ "Propter hoc sapiens princeps constituens populi patrimonium, profecto efficiet ut sursum satis ad serviendum patri et matri, deorsum sufficiat ad nutriendum uxores et liberos;..."⁽³⁷⁾

In jure defectus sustentationis punitur cum gravibus poenis et ex alia parte officium sustentationis plures favores in jure conceduntur uti suspensio et diminutio poenarum.

(36) Mong-tse, L.IV, Pars.I, n.19. (Zottoli, *Cursus litteraturae sinicae*, Shanghai 1879, vol.II, p.505.

(37) Mong-tse, (Zottoli, vol.II, p.387.) L.I, Pars I.n. 7.

Caput VI

De Exercitio Potestatis Patriae In Jure Sinico Vigenti

Articulus I. Principia generalia circa exercitium potestatis patriae

In capite secundo, ubi egimus de fundamento et natura potestatis patriae in jure sinico vigenti, diximus de subjecto, quod potest exercere potestatem patriam. Jus enim vigens sinicum civile tribuit aequalitatem patri et matri quoad exercitium potestatis patriae versus proles suas; tantummodo in casu discordiae inter patrem et matrem jus praefert voluntatem patris, tunc jus in filium a patre exercetur. Praeter hoc principium generale relate ad exercitium potestatis patriae adsunt adhuc alia principia quae a jure stabilitae sunt uti regulae observandae.

I. Praescriptiones contra abusus

Parentes, qui naturalem amorem versus proles habent, in exercitiis suae potestatis naturaliter de utilitate prolum excogitant; attamen propter concupiscentias accidere potest, quod parentes ratione obcaecata, suam potestatem in detrimentum liberorum convertunt. Tunc intervenit lex ad protegendos liberos et praecautiones contra hos abusus statuit.

Jus sinicum vigens in articulo 1090 ita praescribit: "Quando parentes abutuntur potestate sua versus proles, consanguinei eorum propinquiore eos moneant, vel consilium familiae hanc monitionem faciat. Si autem hanc monitionem incassum ceciderit, consanguinei illi vel consilium familiae potest petere inhibitionem partialem vel totalem potestatis patriae parentibus a tribunali competenti."

Praecautiones sunt igitur duae: monitiones et inhibitio. **Monitio** facienda est vel a consanguineo propinquo vel a consilio familiae. Consanguineus iste, qui officium et jus monendi habet, debet esse propinquus et superior patris vel matris: nam monitio a superiore provenit, non vero ab inferiore. Consilium familiae est illum ens juridicum quod secundum normam in art. 1130, 1131 stabilitam constitutum est. -Inhibitio potestatis potest esse vel partialis vel totalis juxta exigentiam concretam a judice definiendam; post inhibitionem tutor prolibus datur quoad ea omnia, quae a parentibus exerceri non possunt.

II. Cessatio potestatis patriae

Potestas patria suum terminum quidem habet et naturaliter cessat, quando parentes mortui sunt vel proles majores facti sunt aut matrimonium contraxerunt. De his vero cessationibus naturalibus non loquimur hic; loquimur de aliis cessationibus quae a jure positivo sinico stabilitae sunt.

1. Propter morbum; in articulo 14 jus statuit: "Qui propter morbum mentalem vel propter debilitatem nervorum incapax est disponendi res suas, inhibitus declaratur quoad actus juridicos a tribunali per petitionem conjugis vel duorum consanguineorum propinquorum." Persona hujusmodi inhibita "capacitatem agendi non amplius habet" (art. 15) et pro suis negotiis "tutorem a lege datum (art. 1111) obtinet. Itaque haec persona non gaudet exercitio potestatis patriae, quia ipsa minori personae comparatur.

2. Propter declarationem mortis; In articulo 8 statuitur: "Persona deperdita post decem annos sine notitiis tribunal ob petitionem personae, cujus interest, mortem illius personae deperditae declarare potest; si persona est senex septuaginta annos aetatis completos habens, declaratio mortis fieri potest post quinque annos. Si deperditio interfuit in extraordinariis calamitatibus, declaratio mortis fieri potest post tres annos." Post declarationem mortis exercitium jurium illius personae habetur uti post mortem realem; idcirco exercitium

potestatis patriae etiam cessat. Tamen haec cessatio non est absoluta; nam si illa persona, de qua declaratio mortis facta fuit, realiter vivit et etiam in familiam reversus est, exercitium potestatis patriae reviviscere debet. Praesumptio enim veritati cedit. Itaque ista cessatio potius vocari debet suspensio potestatis. Si vero mors revera interfuit, tunc potestatis patriae exercitium absolute cessat.

3. Discesio parentum; potestas patria non extinguitur, nisi per causas naturales, ejus vero exercitium per causas juridicas extingui potest; ita, mortuo patre, mater in alteras nuptias transivit, ipsa non amplius conservat exercitium potestatis patriae versus proles; quae in familia mariti mortui remanent. Idem dicendum est, quando pater, qui in matrimoniali contractu sese obligaverat in familia uxoris manere et in conditione quasi filii adoptivi, mortua vero uxore in alteras nuptias transive voluit et liberos apud familiam uxoris prioris relinquit. In his casibus prolibus tutor semper datur.

Videtur res eodem modo habenda esse, quando divortium interfuit, et duo conjuges in alteras nuptias transiverunt. Potestas patria exercetur ab illo parente (patre vel matre), penes quem proles educantur. Nam altera pars de facto impossibilis habetur relate ad exercitium potestatis patriae in proles quae apud alteram partem commorantur.

Articulus II. De potestate patria in personam proles

I. Acquisitio nationis

Natio hic summitur in sensu qui significat unam personam ad certam nationem pertinere (nazionalità, nationalité, nationality). Homo jura civilia sibi vindicare et vindicata defendere non potest, nisi ad determinatam nationem pertinet, quia unaquaeque natio jura civilia eorumque defensiones suis civibus largitur. Itaque acquisitio nationis uti fundamentum jurium civilium nuncupari potest.

Jus de acquisitione nationis Sinensis praescribit duos modos acquisitionis: modus naturalis et modus derivativus acquisitionis. Modus naturalis, quo aliquis ad nationem Sinensem pertinet, est

modus qui sine positivo interventu auctoritatis publicae perficitur, suppositis requisitis. Modus acquisitionis est modus qui perficitur in determinatis circumstantiis ab auctoritate publica.

1. Modus naturalis:

"Personae sequentes (naturaliter) ad nationem Sinensem pertinent:

In momento nativitatis, pater erat Sinensis;

Posthumus, sed ejus pater quando moriebatur, erat Sinensis;

Pater ignoratur vel non habet nationem, mater vero est Sinensis;

Nascitur in territorio sinico, pater et mater ignorantur vel non habent nationem." (art. 1, jus de acquisitione nationis Sinensis.)⁽¹⁾

Modus naturalis acquisitionis nationis Sinensis est nativitas conjuncta cum determinatis circumstantiis vel requisitis; hae requisita sunt consequentiae illius principii generalis: liberi sequuntur conditiones personales parentum." Itaque cum pater sit de natione Sinensi, liberi nascuntur Sinenses.

2. Modus acquisitionis:

"Personae alterius nationis nationem Sinensem acquirere possunt, si una de circumstantiis sequentibus intervenit:

- A. datur in matrimonium cum viro Sinensi; sed si juxta legem propriae nationis mulier nationem propriam conservat adhuc durante matrimonio; haec praescriptio non applicatur;
- B. nata ex patre Sinensi (illegitime) et recognita a patre;
- C. pater nescitur vel non recognovit prolem esse suam; mater est Sinensis et recognovit prolem esse suam;
- D. adoptata a parentibus Sinensibus in filium;

(1) cfr. Collectio Jurium et Decretorum vigentium, (Accademia juridica, Shanghai 1931) vol.I, tom.III, p.23, sq.

E. recepit concessionem a gubernio Sinensi acquisitionem nationis Sinensis. (art. 2, jus de acquisitione nationis.)

Ex his requisitis apparet quod in modo acquisitionis nationis potestas patria etiam magnum influxum habet, nam filii illegitimi et adoptivi parentum sinensium acquisitionem nationis Sinensis faciliter recipiunt.

II. Domicillium prolis

In jure sinico non loquitur de loco originis, loquitur vero de loco domicilii. Jus civile vigens, quod vigorem habere incepit an. 1929, statuit praescriptiones tantummodo de domicilio, nunquam vero mentionem de quasi-domicilio fecit. Videtur quod jus civile non admittit existentiam quasi-domicilii. Attamen in legibus de censu, quae in anno 1934 publicatae sunt et in eodem anno vigere inceperunt, expresse loquitur de domicilio et quasi-domicilio, quia praescripsit sex menses commorationis pro acquisitione quasidomicilii, prohibuit duo quasi-domicilia comtemporanea et tribuit acquisitionem quasidomicilii civibus alterius nationis in territorio Sinensi. Non constat vero de effectibus juridicis quasi-domicilii, quia in legibus de censu nihil relate ad hoc dictum fuit. Videtur effectus admittendus esse saltem in casu, quando persona domicilium non habet, uti pro civibus alterius nationis in territorio Sinensi domicilium habere non valentibus.

Quoad domicilium prolis tam in jure civili quam in legibus de censu regula generalis est, quod proles sequitur domicilium parentum⁽²⁾, quando ipsi minores sunt.

(2) art. 21, "persona incapax agendi vel habens capacitatem diminutam agendi sequitur domicilium tutoris legalis."

art. 1060: "Proles minores sequuntur domicilium parentum."

art. 4, n. 2, Legum de censu. (cfr. Collectio parva sex jurium, compilata ab accademia juridica, Shanghai, 1936; tom IX, p.108 sq.

Ex praescriptione generali juris relate ad domicilium prolis non clare apparet utrum parentes domicilium prolis determinare valeant. Jurisperiti generatim affirmant jus esse parentibus domicilium prolis determinandi⁽³⁾. Hoc nobis videtur esse tenendum, quia determinatio domicilii ad educationem prolis multum refert.

De domicilio filii illegitimi, attendum est domicilium matris; si vero filius a patre recognitus fuit, tunc ipse sequitur domicilium patris. Si vero filius illegitimus neque a matre neque a patre recognoscitur, ipse comparandus est infanti exposito, qui habet domicilium tutoris.

III. Jus castigandi

Educatio puerorum sins castigatione et correptione, ne dicam impossibilis, certe semper inefficax habetur; natura, quae educationem prolium parentibus commisit, eis quoque jus medium necessarium adhibendi tribuit. Jus sinicum civile vigens potestatem castigationem infligendi parentibus expresse recognovit, quamvis cum quadam restrictione: "parentes in casibus necessariis, servato moderamine, proles castigare possunt." (art. 1085) Amplitudo hujus, potestatis sine dubio non extenditur ultra limites juris antiqui, quod prohibebat mutilationem; et castigatio infligitur sub conditionibus "in casibus necessariis et servato moderamine." Si hae conditiones non servantur a parentibus, casus habetur abusus potestatis patriae et parentes monendi sunt ab consanguineo propinquiore vel a consilio familiae.

In schemate primo juris civilis habebatur etiam alia praescriptio circa castigationem infligendam, ubi dicitur: "Parentes, qui actualiter exercent potestatem patriam, in casibus necessariis possunt per seip-

(3) Hu-chang-ts'ing, *Jus familiare sinicum vigens*, (Shanghai 1936), p.279.

sos castigare proles suas vel eas tradere tribunali ut proles in loco correptionis castigentur." (art. 1374) *Traditio* tribunali in jure vigenti non amplius invenitur. Si interpretatio fit secundum jus antiquum et secundum consuetudinem jus hoc adhuc sustineri potest; sed si interpretatio fit secundum spiritum juris vigentis, jus hoc parentibus negandum est, quia spiritus juris vigentis tendit ad tollendum vel restrigendum jus parentum et relinquit parentibus ea jura quae suis officiis stricte necessaria sunt.⁽⁴⁾

IV. Jus educandi

Jus ac officium naturale educandi proles a jure civili sinico vigenti parentibus recognoscuntur et expresse enuntiantur in articulo 1084: "Parentes relate ad proles minores habent jus ac officium protegendendi, alendi atque educandi." Itaque parentes contra tertiam personam, quae jus educationis eis tollere vel restringere tentat, actionem apud tribunal competens promovere possunt.

Gubernium autem sinicum, quod reipublicanum appellatur et jura populi protegere satagit, jus educationis parentibus directe non expoliavit, sed indirecte multa obstacula interponit; nam monopolium educationis magis in diem a gubernio affirmatur, exercitium juris educationis, quod parentibus competit, semper restringitur. Tentamen imponendi obligationem omnibus pueris puellisque ad frequentationem scholae⁽⁵⁾ potest interpretari in favorem parentum ut ipsi in adimplendo officio educationis auxilium a gubernio recipir possint; nam major pars parentum incapax proles suas educandi ac instruendi

(4) Tsong-hong-shiung, *Jus familiare sinicum vigen*s, Shanghai, 1933; p.245.

(5) *Leges de schola obligatoria* publicata anno 1932 (cfr. *Collectio omnium jurium sinicorum vigentium*; compilata a ministerio lagislativa, Nanking 1935; tom.VIII.)

habetur. Sed leges, quae absolute obligant scholas privatas recognitionem a gubernio obtinere et schema educationis a gubernio propositum observare, sunt gravia obstacula, quominus parentes jus suum educationis libere exercere valeant. Scholae privatae, quae a gubernio non recognoscuntur, exsistere non possunt et si exsistant, documentum discipulis de examinibus dare nequeunt; discipuli educati in schola privata non recognita a gubernio magistros et officiales esse non possunt. Itaque gubernium, licet directe parentes non impellit ut proles ad determinatas scholas mittant, sed indirecte obligationem moralem parentibus imposuit, ut scholas a gubernio recognitas pro educatione prolium eligant.

Ex jure educandi parentes potestatem habent praescribendi libertatem prolium, quando educatio hanc praescriptionem exigit. Libertas, quae unicuique personae a jure naturali tributa est, a jure positivo humano recognoscitur, ejus autem exercitium a jure positivo limitari potest pro bono communi. Jus constitutionale Sinicum, quod datum fuit anno primo Reipublicae (a. 1912) et temporaneum vocatur, tribuit unicuique civi Sinensi has libertates: "Cives habet jura sequentia libertatis: a) Persona civis non potest capi et in carcere teneri, nisi juxta leges; b) Domus civis non potest perquiri, nisi juxta leges; c) Cives habet libertatem possidendi bona et faciendi commercia; d) Cives habet libertatem loquendi, scribendi et societatem fundendi; e) Cives habet libertatem litteras et secreta mittendi; f) Cives habet libertatem domicilium mutandi; g) Cives habet libertatem profitendi religionem." (art. 6)⁽⁶⁾ Haec omnia jura, quae jus unicuique civi elargitum est, competunt quidem prolibus etiamsi minoribus; attamen proles in exercendis his juribus semper dependent a voluntate parentum, quia proles non sunt personae sui juris.

(6) cfr. *Collectio ex jurium*, compilata ab academia juridica, Shanghai, 1931; vol.I, p.34 sq.

Articulus III. De potestate patria relate ad electionem status vitae prolis

I. Consensus pro electione professionis

Electio status vitae secundum jus vigens sinicum libere fit a prolibus; jus quidem ex una parte non praecipit electionem faciendam esse a parentibus, ex altera parte etiam non prohibuit parentibus hanc electionem cum consensu prolis facere. Si aspiciatur finis vel ambitus potestatis patriae, status vitae habetur extra parentum potestatem; quia obligatio per totam vitam valitura a parentibus imponi prolibus non potest.

Si electio professionis a prolibus minoribus perficitur; ut effectus juridicus obtineatur, requiritur consensus parentum; nam jus non recognoscit actus minorum, nisi corroboratos a consensu tutoris legalis.

Exercitium professionis a prolibus minoribus sine permissione parentum perfici nequit. Parentes permissionem dare vel recovare in omnibus casibus valide possunt. "Si tutor legalis permissit, ut persona capacitatem diminutam agendi habens sola professionem faciat, persona ipsa minor capax est ponendi omnes actus qui ad professionem suam pertinent. Si vero persona ipsa in exercenda professione ineptam se ostendit, tutor potest revocare permissionem suam vel eam limitare." (art. 85)

II. Consensus parentum pro sponsalibus et matrimonio prolis minoris

Contractus sponsalium, qui juxta jus praeteritum a parentibus perfici debebat, in jure vigenti a ipsis contrahentibus perficiuntur: "Sponsalia a contrahentibus viro et muliere perfici debent." (art. 992) Sponsalia, quae contracta sunt juxta formam praescriptam, actionem

ad damnum reparandum dant, non vero urgendam celebrationem matrimonii. (art. 995, 978) Sponsalia contrahere vel non contrahere est in facultate uniuscujusque personae; matrimonium enim in jure vigenti omnibus necessarium esse jam non consideratur. Attamen libertas, quae competit prolibus minoribus, propter impecillitatem aetatis in earum damnum converti potest, et ideo jus limitem posuit: "Persona minor in contrahendis sponsalibus tutoris legalis consensum exquirere debent." (art. 974)

Consensus tutoris legalis pro sponsalibus minorum requiritur non ad validitatem, sed ad liceitatem; id manifeste deducitur ex eo, quod jus affirmat sponsalia perfici per voluntatem duarum contrahentium. Contra sponsalia illicite contracta jus non statuit remedium parentibus, sed ex dispositione de matrimonio sine consensu parentum contracto parentes petitionem dissolvendi sponsalia illicita possunt. Hoc speciatim valet, quando fides sponsalium a prole non servatur et pars altera reparationem damnorum petit.

Quaestio de consensu parentum pro matrimonio prolis minoris est aliquantisper obscura. Jus statuit de consensu parentum: "Minores pro contrahendo matrimonio consensum tutoris legalis obtinere debent." (art. 981) Agiturne de validitate vel tantum de liceitate matrimonii?

Matrimonium invalide contractum secundum jus sinicum vigens habet duas species, quae enumerantur in articulo 988: "matrimonium est invalidum, si una ex circumstantiis infra enumerandis occurrerit: 1) Si forma matrimonii in art. 982 praescripta non observata fuerit; 2) Si contra art. 983 de impedimentis consanguinitatis et affinitatis matrimonium contractum fuerit."

Enumeratio matrimoniorum invalide contractorum videtur esse taxative et extra casus in articulo commemoratos non habetur matrimonium invalidum. Sed hoc criterium non est absolutum; nam in jure sunt impedimenta, quae matrimonium non ipso facto dirimunt, sed secundum jus naturale sunt revera impedimenta dirimentia et matrimonium semper invalidum faciunt, uti impedimentum impotentiae ablutae et insanabilis et impedimentum vinculi. Impedimentum defectus consen-

sus parentum non quidem provenit ex jure naturali, procedit unice a jure humano. Auctoritas civilis suprema pro infidelibus, suis civibus, impedimentum defectus consensus parentum, sicut vult, valide potest constituere vel ad liceitatem vel ad validitatem matrimonii. Fons effectus hujus impedimenti in jure civili est ipsum jus civile. Nunc effectus impedimenti defectus consensus parentum in jure sinico vigenti non extenditur ad dirimendum ipso facto matrimonium; etenim hoc impedimentum non comprehenditur in articulo 988, in quo declarantur impedimenta dirimentia. Effectus unicus a jure huic impedimento concessus consistit in hoc: "Si matrimonium initum fuerit contra praescriptum articuli 981, tutor legalis habet jus petendi a tribunali dissolutionem hujus matrimonii. Jus vero petendi cessat post sex menses a die cognitionis rei, cessat etiam post annum matrimonii vel post conceptionem."

Impedimentum defectus consensus parentum confert igitur parentibus jus petendi dissolutionem matrimonii et ista petitio, probato defectu consensus, a tribunali frustrari non potest. Nunc vero quaerendum est utrum matrimonium ab initio fuerit validum sed illicitum an etiam invalidum. Si matrimonium ab exordio jam fuerit validum, quomodo postea a petitione parentum dissolvendum sit.

Si consideramus unasimul jus matrimoniale sinicum vigens et mentem legislatoris, debemus affirmare matrimonium sine consensu parentum contractum ab initio fuisse validum ob rationes supra expositas. Matrimonium vero validum postea dissolvi potest, quia legislator sequens opinionem modernorum indissolubilitatem matrimonii non admittit et propterea divortium in jus vigens introduxit. Effectus hujus impedinenti directe non dirigitur ad matrimonium sed ad defensionem juris parentum. Parentes jus habent imponendi consensum suum pro matrimonio prolis minoris; cum hoc jus violatum fuerit, lex dat parentibus actionem ad vindicandum suum jus et ad reparandas injurias sibi illatas. Jus parentum non vindicatur et injuriae illatae non reparantur, nisi matrimonium, quod est causa omnium malorum, destruat; ergo matrimonium ad petitionem parentum dissolvendum

est. Lex limitem parentibus imposuit, ne matrimonium prolum semper incertum remaneat. Limites sunt tres: transitus sex mensium post cognitionem matrimonii, transitus unius anni post matrimonium et conceptio. Terminus a jure status pro cessatione juris petendi dissolutionem est tempus continuum, quia jus non dicit tempus non currere, quando parentes jus petendi prosecui non valent.

Articulus IV. De potestate patria in bona prolis minoris

Bona familiae et bona, quae prolibus ex labore suo acquirunt, sunt bona parentum et de his bonis jus parentum est plenum, scilicet jus proprietatis.

In jure sinico antiquo proles nulla bona propria possidere poterant, neque titulus peculii dabatur eis; in jure vero vigenti prolibus minoribus concessio fit ut ipsae bona propria habere valeant. "Bona, quae prolibus minoribus ex hereditate, vel ex dono, vel ex titulo gratuito proveniunt, sunt propria prolum." (art. 1087) De potestate patria in haec bona prolis nunc tractamus. Jus vigen parentibus duo jura tribuit in bona propria prolis: jus administrationis et jus fructum percipiendi.

1. Jus administrationis. Parentes in bona propria prolis minoris jus et officium administrationis habent: "Propria bona prolum a patre administrantur; deficiente patre, a matre." (art. 1088, parag. 1) Pater igitur, vel mater in his bonis disponendis prolem minorem repraesentat et agit nomine prolis; proles vero ipsa sola sine consensu patris vel matris (juxta casum) bona propria disponere non valet. Parentes in administrandis his bonis curam diligentiamque adhibere ordinariam debent, sed obligati non sunt ad observantiam praescriptorum de administratione bonorum pupillorum a tutore dato administranda. Jus praescribit ut tutor datus ante susceptionem administrationis unacum delegato consilii familiae inventarium omnium bonorum conscribat (art. 1099), rationem administrationis unoquoque anno consilio famil-

iae reddat (art. 1103), de bono immobili pupilli disponat, audito consilio familiae (art. 1101) et bona pupilli per cessionem recipere nequat (art. 1102). Hae praescriptiones non applicantur parentibus administratoribus bonorum prolis, nam jus expresse exempsit avum et aviam ab his oneribus, quando ipsi tutores neptis dati sunt; ideoque a fortiori parentes exempti sunt ab his praescriptionibus. Attamen parentes in administratione bonorum prolis omnino liberi non sunt, scilicet non possunt disponere bona prolis semper secundum propriam voluntatem, nam jus statuit: "attamen parentes prolium bona propria disponere non possunt, nisi in utilitatem prolium."

2. Jus fructum percipiendi. "Parentes de bonis prolium propriis usufructum habent; attamen parentes prolium bona propria disponere non possunt, nisi in utilitatem prolium." (art. 1088, parag. 2) Jus usufructus parentibus concessum non habetur uti remuneratio administrationis, sed potius uti quoddam exercitio potestatis patriae. Postea jus hoc justum est, quia proles minores a parentibus sustentationem recipiunt, ideo ad suam sustentationem et etiam ad consumptum educationis, in quantum possunt, concurrere debent.

Quaestio a jurisperitis movetur circa bona prolis majoris in familia paterna adhuc degentis. Parentes jura administrationis et usufructus in bona prolis majoris exercere valentne vel non? Plures doctores negant jus administrationis et usufructus a parentibus exerceri posse in bona istius prolis majoris. Ratio est, quia proles major plenum exercitium suorum jurium jam habet.⁽⁷⁾

Attamen distinctio facienda est inter jus administrationis et jus usufructus. Jus enim administrationis est in auxilium prolis minoris, quae capacitatem diminutam in agendo habet. Proles major capax habetur ad exercendum jus suum et normaliter adaptus etiam invenitur administrationi. Idcirco non est ratio cur jus administrationis paren-

(7) Fu-chang-ts'ing, *Jus familiare sinicum vigens*, Shanghai, 1936; p.284.

tibus vindicatur. Jus autem fructus percipiendi de bonis prolis non connectitur cum aetate prolis, sed cum remanentia prolis in familia parentum, quia proles sive minor sive major in familia paterna remanens sustentationem et consumptum educationis de bonis familiae idest de bonis parentum recipiunt et ideo ad hanc sustentationem et consumptum educationis concurrere semper obligata est. Itaque parentes jus usufructus etiam in bona prolis majoris in familia paterna remanentis exercere possunt.

Conclusio

Post sex capita, in quibus potestas patria explicata est quomodo se habet in jure canonico et in jure sinico antiquo vigentique, nobis licitum jam est quandam comparationem instituere.

I. Fundamentum et natura potestatis patriae

Fundamentum potestatis patriae ejusque natura in jure canonico, servata semper supernaturalitate Ecclesiae, adhaerent juri naturali et correspondent necessitati prolis. Potestas patria remote fundatur in generatione, proxime vero fundatur in officiis naturalibus sustentationis educationisque. Finis igitur hujus potestatis exsurgit ex suo fundamento et principaliter in bonum prolis ordinatur; per finem suum potestas patria mensuratur et habet ambitum in determinato tempore minorennitatis prolis et in determinatis objectis ad officia naturalia parentum referentibus. Ambitus potestatis parentum ad res spirituales non extenditur et si aliquid habet in hoc campo, obtinet ex benigna concessione Ecclesiae.

Jus sinicum antiquum, principium morale-mysticum de unitate genitorum et geniti sequens, fundamentum potestatis patriae in generatione remote reponit, proxime autem reponit in unitate existentiae prolis cum existentia parentum, quatenus existentia prolis est pars et continuatio existentiae parentum. Ex fundamento deducitur, quod finis potestatis, parentum est in bonum parentum et ambitus potestatis parentum ad totam existentiam prolis extenditur. Differentia inter conceptum juridicum catholicum et conceptum sinicum confucianum de potestate patria elucida est et ab omnibus percipitur. Veritas vero in Ecclesia Christi unice et indefectibiliter invenitur; propterea doctrina catholica habetur uti criterium, secundum quod doctrina confuciana perpendenda est. Fundamentum remotum tam in jure canonico

quam in jure sinico antiquo consistit in generatione, qua parentes existentiam proli communicant et insimul jus in eam acquirunt. Fundamentum autem proximum, quo jus parentum per generationem in prolem acquisitum in speciem determinatur, non potest consistere in unitate existentiae parentum et prolis; nam existentia prolis post generationem ab existentia parentum non amplius dependet et ad eam non ordinatur. Itaque unitas neque realiter neque juridice existit, existit quaedam unitas moralis inter affectus, quae unitas fundamentum potestatis patriae esse non valet. Ex erroneo fundamento erroneus finis ac ambitus deducuntur, quia ex naturali jure potestas patria non sese extendit ad omnes actiones prolis.

Jus sinicum civile vigens, traditione juridica abjecta, conceptum juridicum occidentale recepit et sic relate ad fundamentum et naturam potestatis patriae sat propingue accedit ad jus canonicum, quia ponit jus vigens civile potestatis patriae fundamentum in generatione et in officiis sustentationis et educationis. Attamen legislator propter facilem propensionem ad recipiendum conceptum occidentale liber omnino non est ab erroribus. Qui errores praesertim in duobus punctis manifestatur: primum in concentratione excesiva potestatis in Statum uti in monopolio educationis; secundum in absoluta aequalitate mulieris cum viro. Ex primo errore jus civile vigens tendit ad restringenda jura parentum; ex secundo errore aequalitas matris et patris in exercitiis potestatis patriae. Contra tendentiam emancipationis erroneae mulieris Primum Concilium Sinense (habitum 1924 in civitate Shanghai) suam damnationem pronuntiavit: "Emancipationem, quam vocant, mulieris Concilium prorsus reiicit, quia vinculum sanctitatemque familiae dissolvit, quae est seminarium reipublicae et maximum populi sinensis praesidium. Restituendam vero mulieribus dignitatem, cessante concubinitus ignominia et sponsalium servitute, Concilium alte proclamat. Utique sarta tectaque sit auctoritas patris matrisque familiae sed sensu christiano temperata atque honestata."⁽¹⁾

(1) Primum Concilium Sinense (an. 1924) ed. Shanghai Zi-ka-wei 1930, p.87. L.II, tit.XLV. n.208.

II. Effectus Juridici potestatis patriae

proles in jure canonico dispescitur in minorem et majorem; proles major habetur extra potestatem parentum, proles minor sub potestate patria manet. Unaquaeque subjectio effectus juridicos importat, praesertim subjectio prolis est quoad voluntatem. Parentes auctoritatem suam in voluntatem prolis exercent, ipsi prolem in agendo repraesentant, voluntatem prolis integrant eamve confirmant. Proles minor, quatenus non est persona sui juris, incapax agendi vel dependens a voluntate parentum habetur. Incapacitas agendi prolis minoris in jure canonico generaliter affirmatur, exceptis iis casibus a jure statutis.

Jus sinicum antiquum, cum fundamentum potestatis parentum in unitate existentiae prolis cum existentia parentum posuisset, effectus parentum potestatis ad totam vitam prolis extendit, quia jus praescripsit cohabitationem prolium cum parentibus et jussit absolutam subjectionem prolis parentibus. Proles igitur tam major quam minor in agendo semper dependet a voluntate parentum. Hoc est aliquid nimis contra naturalem capacitatem agendi prolium.

Jus sinicum vicens effectus juridicos potestatis parentum ad determinatos terminos reduxit et proponit in hac regula: parentes sunt tutores legales prolis minoris. Persona minor secundum jus in agendo dependet a voluntate tutoris legalis et per seipsam solam invalide agit. Sed incapacitas agendi minorum non est universalis in omnibus actionibus, quia jus exceptit actiones, quae secundum aetatem et statum prolis ad vitam necessaria sunt et actiones, quae ad acquisitionem favorum simplicium a lege concessorum ordinantur. Effectus juridici igitur potestatis patriae habiti in jure sinico vigenti si comparantur cum effectibus in jure canonico habitis, conveniunt in principiis et differentiantur in applicationibus propter specialem naturam Ecclesiae.

Una pars effectuum juridicorum a jure sinico statutorum influxum in jure canonico etiam exercet et est circa contractus prolis minorum, quia jus canonicum in contractibus praescriptiones civiles recipit, nisi

jus canonicum aliud specialiter cautum sit vel jus civile aliquid contra jus divinum statuerit. Jus sinicum praescripsit, quod minor proles in contractibus a potestate parentum dependet et contractus, qui a prole sola initus fuerit, validitatem recipit post ratihabitionem parentum. Hae praescriptiones aliquid contrarium juri divino sive naturali sive positivo non continent.

III. Potestas patria in personam prolis minoris

Persona prolis minoris subicitur parentibus. Haec subjectio manifestatur in diversis negotiis juridicis. Proles minor sequitur conditionem personalem parentum, ita jus canonicum statuit proles in baptismo sequi ritus parentum; proles minor sequitur domicilium parentum, hoc habetur etiam in jure canonico; proles minor est sub potestate parentum relate ad ea omnia ad educationem pertinentia, ita in jure canonico habetur prohibitio baptismi infantis infidelium sine consensu parentum et vindicatur parentibus jus ad educandos liberos suos.

In jure sinico antiquo persona prolis totaliter est subjecta parentibus; parentes igitur jus habent utendi persona facultatibusque prolis ad suam utilitatem et jus sibi vindicant castigandi proles, infligendo punitiones physicas. Limites quidem habentur in exercitiis hujus juris parentum, quia jus prohibuit occisionem, venditionem et prostitutionem prolis. Tamen excessus semper datur in affirmando hoc jure parentum in personam prolis. Etenim persona prolis subicitur parentibus, in quantum necessitas protectionis et educationis exigunt, non vero subicitur, quia est res parentum etsi salvetur natura humana.

Jus sinicum vicens saevitiam juris antiqui mitigavit et statuit subjectionem personae prolis parentibus in determinatis rebus. Proles sequitur nationem parentum eorumque domicilium; proles in casibus necessariis a parentibus castigari potest; proles quoad educationem plane a parentibus dependet. haec subjectio ab auctoritate humana negari non potest sine offensione ad jus naturale.

IV. Potestas patria ad electionem status vitae prolis

De jure naturali est quod electio status vitae a proli minori independenter a voluntate parentum valide fieri potest, sed generatim illicite, nisi rationabilis causa prolem a petitione consensus excusaverit. Libertas electionis status vitae speciatim in jure canonico vindicatur prolibus, propter sanctitatem status religiosi et clericalis et propter etiam sacramenti dignitatem matrimonii. Consensus parentum requiritur ad liceitatem horum statuum electionis, non vero ad validitatem.

Jus sinicum antiquum maguam injuriam libertati naturali prolis commisit, ipsum enim statum vitae esse modum vivendi considerat et electionem status vitae totaliter sub potestate patria ponit. Difficultates et mali effectus speciatim ex matrimonio coacto nascebantur et molestias innumerabiles Missionariis creabant. Hi excessus potestatis patriae a jure vigenti jam abrogati sunt, sed propter suam profundam radicem in consuetudine statim cessare non possunt. Propterea prudentes praescriptiones circa matrimonium a Primo Consilio Sinensi datae sunt.

"Conventiones a parentibus factas de matrimonio futuro filiorum sive infantium sive saltem impuberum sed insciorum, eo quod sint vere perniciosae, semper prorsus reprobavit et detestata est Ecclesia. "Hinc graviter monendi sunt fideles ut, relicto iniquo patriae more desponsandi filios in infantili aetate, Ecclesiae regulis sese omnino conforment." (Syn. Sutchuan, an. 1803, C/IX, III)

"Quod ad filios puberes attinet, prohibendi sunt parentes ne, absque eorum consensu, pro eis praesumant inire sponsalia. Hae sunt pro utroque foro irrita."

"Missionarii ne se immiscant intempestive negotiis sponsalium et matrimoniorum, et nihil aliud curent nisi in his contrahendis leges Ecclesiae sedulo serventur. Valide cauti sint ne indiscriminatim suadeant puellis, quae fidelibus olim validis ratisque sponsalibus in

matrimonium fuerint promissae, ab istis sponsalibus resilire, eo solo praetextu quod virginitatem servare velint. Multa enim et saepe gravissima incommunda, sponsalibus resolutis, evenire solent tum missionario, tum christianis, qui sponsalium dissolutionem admiserunt. Satius est igitur utramque partem, in hoc casu, suae libertati prorsus relinquere."

"Ne facile missionarii audiant puellas quae, more patriae jam sponsatae, contendunt se, ut volunt et sine ullo onere, rescindere sua sponsalia, eo quod non ad normam can. 1017 inita fuerint, moneantur igitur illae puellae, et praesertim earum parentes, quod, etsi ex hujusmodi sponsalibus non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem, datur tamen ad reparationem damnorum, si qua debeatur, secundum legitimas regionis consuetudines."⁽²⁾

"Prohibendum est" ne puellae desponsatae, cujuscumque aetatis, in domum sponsi recipiantur inuptae, ut scandalis via praecludatur, atque ea innumera praepediantur peccata, quae diu familiariterque versantibus sponsis inter se impossibile fere est non evenire." (Syn. Sutch. an. 1803, CIX, IV.) Missionarii licentiam super hoc nunquam concedant, nisi meliori modo quo fieri poterit, provisum fuerit, ut occasio proxima peccandi omnino amputetur. Haec enim, cum sit ex se peccaminosa, ne quidem vitandi majoris mali cusa unquam licet. Cum ad benedictionem nuptialem devenietur, attendat missionarius ut plena libertas sponsae reliquatur in consensu dando; nec matrimonio benedicat nisi moraliter certus sit de consensu puellae; in casu dubii consulat Ordinarium."⁽³⁾

Conceptus de necessitate matrimonii post propagationem Budismi et constitutionem Taoismi in Sinis sensim mutationem subivit, eo quod Budismus vitam monachismi indiani in Sinis plantavit et Taois-

(2) Primum consilium Sinense (Shanghai, Zi-ka-wei 1930); L.III, tit. VII, art. 381, n.1,2,3,4.

(3) Primum Concilium Sinense, (ut in nota prima) art.382, n.1,2,3.

mus ad imitationem Budhismi suos conventus religiosos fundavit. Cun vita monastica incompatibilis habetur statu matrimoniali et monachus votum castitatis proferre debent, consideratio virginitatis apud populum sinensem paulatim diffundebatur et eo usque ut status virginitatis in societate magis quam status matrimonialis exsistimaretur. Ad hoc probandum sufficit notare factum; quando imperator U-ti dynastiae Tcheou septentrionalis (circa an. 584 P.C) persecutionem contra Budhismum movit, tria millia millium religiosi budhisti diversi sexus in saeculum redire coacti sunt.⁽⁴⁾ Dynastia Tang, cum praeoccupationem de nimia multitudine religiosorum budhistarum et taoistarum concepisset, leges reservandi vestitionem religiosam publicae auctoritati tulit, quae legea in codicibus dynastiaram subsequentium etiam inveniuntur.⁽⁵⁾

Cum missiones catholicae tandem in Sinis incepissent, opus principale, quod in corde omnium Missionariorum erat et est, consistit in formatione cleri Sinensis. Pro hoc opere missionarii campum ideologicum jam praeparatum invenerunt et de numero vocationum multas difficultates haud habuerunt. Incommodum vero non omnino potuit deesse, quia excogitatio de continuatione familiae in mente populi semper remanet. Primum Concilium Sinense hoc statuit: "Sanctuarii alumni non solum ex humilioribus societatis condicionibus colligantur, sed etiam ex familiis quae splendore natalium aut publicis muneribus aut copia rei familiaris conspicuae sunt. Impellendae sunt hae familiae ut filiorum vocationibus obsecundent, consciae quantum coram Domino meriti lucrifecturae sint, et quam gloria, ex regali christiano sacerdotio, sint semetipsas honestaturae."⁽⁶⁾

Jus civile sinicum vicens a parentibus jus determinandi statum vitae prolis abstulit et speciatim relate ad matrimonium omnia ligam-

(4) Chang-wei-chiao, *Historia Budhismi in Sinis*, (Shanghai 1933), v.I, p.38.

(5) *Codex Tang-L.IV*, tom.XII, art.de vestione privata.

(6) *Primum Concilium Sinense*, (Shanghai Zi-ka-wei) L.IV, tit.IV, n.654.

ina juris antecedentis agrogavit. Tamen quoad matrimonium jus vigens aliud ligamen constituit, nam matrimonium sine consensu parentum contractum ad petitionem eorum dissolvendum est a tribunali competenti. Indissolubilitas matrimonii est de jure naturali et omnes sive fideles sive infideles obligat. Itaque peccatum, etsi materiale tantum, multiplicatur in hac materia, quia primum matrimonium sine consensu parentum valide contractum excludit aliam quancumque conjugationem matrimonialem. Nunc vero, cum hoc patrimonium ad petitionem parentum dissolutum fuisset, proles in alteras nuptias transeunt et sic semper vivunt in concubinato, etiamsi sine conscientia de hoc peccato. Postea quaestio potest causare gravem difficultatem neobaptizatis. Nam si unus ex istis antea primum matrimonium propter petitionem parentum dissolvit et secundum matrimonium contraxit et nunc vivit cum secunda muliere, quae tamen baptismum recipere non vult nec cum viro cohabitare recusat.

V. Potestas patria in bona prolis

Jus canonicum de bonis prolis non loquitur, nisi relationes speciales inter bona et jura Ecclesiae exigunt. Sed ex dispositionibus de bonis novitii vel professi mens Ecclesiae est ut proles bona propria habere possint.

Jus sinicum antiquum proprietatem privatam non concedit prolibus, non quia jus proprietatis negatur, sed quia capacitas possidendi prolibus non datur.

Jus sinicum civile vigens facultatem possidendi bona propria prolibus minoribus etiam concedit sub aliqua dependentia parentum. Conflictum inter praescriptiones juris canonici de bonis novitii, de testamento in favorem causae piae et praescriptiones de capacitate prolis minoris quoad bona sua exurgere potest. Jus canonicum praecepit ut novitius ante professionem simplicem administrationem et usufructum boni proprii disponere, jus vero sinicum statuit administrationem et usufructum bonorum prolis minoris ad parentes pertinere

ideoque proli minori capacitatem libere cedendi administrationem et usufructum negat. In hoc casu, sicut diximus in pag. 208, cessio prolis vigorem recipit, quando ipsa major facta est. Pro testamento in favorem causae piae conficiendo jus canonicum expresse statuit requiri tantum capacitatem naturalem et non prohibitionem ecclesiasticam, ideo proles minor post usum rationis testamentum de bonis suis in favorem Ecclesiae facere potest; jus vero civile sinicum vigans pro testamento conficiendo in art. 1186 statuit: "Persona incapax agendi testamentum conficere non potest. Persona capacitatem diminutam agendi habens sine consensu tutoris legalis testamentum conficere potest, sed ante sexdecim annos aetatis completos persona testamentum non potest conficere." Pro testamento a prole minori supra sexdecim annos aetatis facto non habetur difficultas; pro testamento a prole infra sexdecim annos aetatis facto in favorem Ecclesiae oppositio haberi potest a parte parentum vel consanguineorum. Sed in his casibus jus canonicum semper attendum est et consanguinei vel parentes monendi sunt ut testamentum valide conditum in executionem mandetur.

VI. Modestissimum nostrum hoc studium

Deo adjuvante propitiantequae Maria, per scapulosas vias ad finem devenit tandem. Fatemur sincere multas imperfectiones pluresque obscuritates desse non posse tam in ordine expositionis quam in collectione materiae. Hic infelix defectus provenit partim ex pennuria fontium juris sinici antiqui, partim ex adaptatione methodi occidentali ad explicandum jus sinicum vetus. Studium hoc fit Romae, in qua urbe, licet bibliothecae antiquis pretiosissimisque voluminibus locupletantes sparsim inveniantur, fontes juris sinici antiqui magna paupertate laborant. Paupertas haec adhuc acrescit, quando comparatur cum immensa quantitate materialium, quas jus sinicum per tot saecula cumulavit. Additur iterum huic pennuriae altera pennuria, quia usque nunc non adfuerunt auctores, qui studia systematica de jure antiquo sinico fecerunt.

Conati sumus in hoc studio, in quantum vires nostrae permiserint, quaestiones circa patriam potestatem ordinatim procedere et omnia scientifice absolvere.

Deo Gratias!

Bibliographia

I. Pro parte juris canonici

Fontes:

- 1 . Corpus juris canonici academici auctore Christianae Henr. Freileen, Praegae, 1728.
- 2 . Fontes juris canonici, Card. P. Gasparri, Romae 1928.
- 3 . Collectanea S.C. de Propaganda Fide.
- 4 . Primum Concilium Sinense (anno 1924) (ed. Shangai 1930).

Auctores:

- 1 . Jac. A. Zallinger, Institutiones juris naturalis et juris canonici, Romae 1832.
- 2 . Fr. Schmalzgrueber, Jus canonicum universale, Romae 1844.
- 3 . Th. Sanchez, De matrimonio sac. Disputationes, (Venetiis) 1618.
- 4 . Zegeri Bernardus Van-Espen, Jus eccles. universale, Napoli 1766.
- 5 . De Smet, De sponsalibus et matrimonio, (Brugis 1927).
- 6 . Wenez-Vidal, Jus canonicum, Romae.
- 7 . Gommarus Michiels, Principia de personis in Ecclesia, 1932.
- 8 . Philippus Maroto, institutiones juris canonici, Romae ed. III.
- 9 . B. Ojetti S.J. Commendarium in Codicem J.C., Romae 1928.
- 10 . F.M. Cappello, S.J. Summa J.C., Romae 1932.
- 11 . J. Chelodi, Jus de personis, Tridenti 1932.
- 12 . Alb. Toso, Commendaria minora ad Codicem J.C., 1932.

13. Vermeersch-Creusen, Epitome J.C., Brugis 1933.
14. Marianus De Luca S.J. Praelectiones juris canonici, Romae, 1897.

II. Pro parte juris sinici

Fontes:

(pro jure sinico antiquo)

- 1 . I-li (ceremonial) S. Couvreur S.J. Hsin-Hsien 1916.
- 2 . Li-ki, S. Couvreur S.J. Ho-kien-fu 1899, 1913.
- 3 . Codex Tang ed. sub imperatore Tao-kuang dynastiae Ts'ing.
- 4 . Codex Ts'ing ed. sub imperatore Tao-kuang dynastiae Ts'ing.
- 5 . Cheng-shu-te, Inquisitio scientifica jurium novem dynastiarum,
(collectio jurium antiquorum ante codicem Tang) Shanghai 1934.

Auctores:

(pro jure sinico antiquo)

- 1 . Yang-hong-lie, Historia juris sinici, Shanghai 1933.
- 2 . Cheng-koo-yuan, Historia juris sinici, Shanghai 1934.
- 3 . Tchu-chiao-yang, Parva historia juris familiaris sinici, Shanghai 1933.
- 4 . Cheng-koo-yuan, Parva historia matrimonii sinici, Shanghai 1935.
- 5 . Tchu-chiao-yang, Parva historia juris poenalis sinici, Shanghai 1933.
- 6 . Wang-gin-cheen, Philosophia juris sinici, Shanghai 1934.
- 7 . Andreozzi, Le leggi penali degli antichi Cinesi, Firenze 1878.
- 8 . Ines Joli-Insabato, Lineamenti dello sviluppo del Diritto cinese, Roma, 1937.

Fontes:

(pro jure sinico vigenti)

- 1 . Collectio omnium jurium sinicorum vigentium, compilata a ministerio legislativo, Nanking, 1935.
- 2 . Collectio sex jurium, compilata ab academia juridica, Shanghai 1927, 1933.
- 3 . Collectio parva sex jurium, compitala ab academia juridica, Shanghai 1936.
- 4 . Collectio jurium et decretorum vigentium, compilata ab academia juridica, Shanghai 1937.
- 5 . Fr. Thery S.J. Le droit chinois moderne, Tien-tsin.
- 6 . Cyrillus R. Jarre O.F.M. Codex civilis Reipublicae sinicae, Tsinanfu 1934.
- 7 . The civil code of the Republic of China, ed. Kelly and Walsh.

Auctores:

(pro jure sinico vigenti)

- 1 . J. Escara Le droit chinois, ed. Henri Vetch, Peping, 1936.
- 2 . Lo-Hoai, La nouvelle legislation chinoise, Paris, 1932.
- 3 . Hu-chang-ts'ing, Jus familiare sinicum vigens, Shanghai 1936.
- 4 . Tsong-hong-shing, Jus familiare sinicum vigens, Shanghai, 1933.
- 5 . Tu-gin-san, Principia juris familiaris vigentis, Shanghai, 1932.
- 6 . Tchou-tchiao-gin, Commentarium in jusfamiliale, Shanghai, 1932.
- 7 . Tsong-vu-kong, Parva commendaria in jus hereditatis, Shanghai 1932.
- 8 . Hu-chang-ts'ing, Jus matrimoniale sinicum vegens, Shanghai, 1930.

- 9 . Li-mo; Jus vigens hereditatis, Shanghai 1932.
- 10 . Marc Van Ier Valk. An Outline of modern Chinese family law.
(monumenta services-monograph II. Hemi Vetch-Paking, 1939).
- 11 . Marc. Van. Ier Valk. Freedom of Marriage in modern Chinese law.
monumenta serica. V. III. 1938-1939 for I.)

Fontes:

- " Collection of summaries of the decisions of the Supreme Court
in 3 parts, Peking 1919.
- " Complete collection of the decisions of the Ta-li-yüan" Shanghai
ed. IV. 1933, by Kuo Wei.
- " Complete text of the interpretations of the Ta-li-yüan" Shang-
hai ed VII. 1933 by Kuo Wei.